


L. f. 86 **Sammelband**



Paulus Heigel

1873





3.

DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM TERTIA

De

UNO IN SUA
LATITUDINE.

Quam

D. T. O. M. F. A.

Venerando Philosophorum

Collegio permittente,

Præsides

M. DANIELE STAHLIO

Hammelb. Franco,

Ad 28. Augusti inter aequales

tuebitur

PHILIPPUS STOLTZENBERGERUS

Wertheim. Franc.



J E N Æ

Typis Johannis Weidneri,

Anno 1621,



V I R O

*Magnifico, Nobilissimo,
Amplissimoq;*

Dn. PHILIPPO REINHAR-
DO, Jcto eximio, Perillustr. & Cel-
lissimorum Comitum in Leonstein/ Wer-
sheimb/ Rüttschenfurt / Dynasta-
rum in Scharpffened &
Brenberg/ &c.


Dnn. meorum clementissimorum,
Consiliario intimo, Cancellario
laudatissimo.


Dn. Mæcenati, Patrono ac Promotori
meo summo,


Disputationem hanc Metaphysicam de UNO
humili & submisso animo

dedico & offero

Philippus Stoltzenbergerus Werthei-
mensis Franc. Resp.







THESIS I.

Uter affectiones
 entis primus locus unum
 solet assignari. Id Aristo-
 teles per indivisionem
sive negationem divisio-
nis describit & in eâ ratio-
nem formalem unius constituit. Sic enim 5.
 Metaph. c. 6. t. 11. Universè autem, inquit, ea, que-
cunq; non habent divisionem, quatenus non habent,
eatenus unum dicuntur: ut si quatenus homo divi-
sionem non habet, eatenus unus homo: si quatenus
animal, unum animal: si quatenus magnitudo, una
magnitudo. Lib. 10. Met. c. 1. t. 2. Quapropter, in-
quit, unius esse est indivisibile esse. Et ibidem c. 5.
 t. 9. Quod aut divisum est aut divisibile, multitu-
do quædam est; quod autem indivisibile aut indivi-
sum, unum.

2. Et certè ipsa experientia testatur, u-
 nitatem importare indivisionem, sicut mul-
 titudo divisionem. Anima enim & corpus si
 divisa sint, multa sunt, & non constituunt u-
 num; quod si non sint divisa, sed unita unum
 cōstituunt; similiter lignum unum est, quam

E

dia

Conf. 3.
 Met. t. 11.
 c. 7. Met.
 t. 5.

DISPUTATIO

diu non est divisum, quod si disseceatur & dividatur, non manet unum, sed sunt duo ligna.

3. Pervulgata est hæc definitio: Unum est quod est indivisum in se & divisum à quolibet alio. Circa cuius definitionis primam partem noto, indivisionem illam posse pluribus modis cogitari, vel quod ens sit indivisum à se, vel ab alio, vel in se. Unitas non consistit in indivisione entis à se, quia etiam multitudo est à se indivisa, tam enim acervus lapidum à se est indivisus quàm angelus. At illud, in quo ratio unius consistit, non potest competere multitudini. Videatur *Paul. Sonc. 4. Met. q. 23.*

4. *Didac. Masius lib. 3. de Ent. & eius propr. c. 2.* duo dicit; primum est, unum esse indivisionem unius entis ab alio, vel, quod idem est, privationem divisionis unius entis ab alio ente; alterum, indivisionem hanc unius entis ab alio exprimi per primam partem definitionis, qua dicitur, unum esse illud, quod est in se indivisum.

5. Nos cum communi sententiâ facimus & asserimus indivisionem, in qua ratio formalis unius consistere dicitur, esse negationem divisionis entis in se. Atque hoc probamus ita:

Quo

TERTIA.

Quo concepto hoc ipso concipitur aliquid ut unum, & quo non concepto non concipitur ut unum, in eo consistit ratio formalis unius.

Sed concepto, aliquid esse in se indivisum, hoc ipso concipitur ut unum, & non concepto eo non concipitur ut unum, sicut per experientiam constat.

E. In hoc, esse aliquid in se indivisum, consistit ratio formalis unius.

6. Quod Masium attinet, frustra ille est.
I. Quia unum est conceptus absolutus, & sufficienter concipitur aliquid ut unum, si concipiatur ut in se indivisum, neque requiritur ut concipiamus aliud à quo indivisum sit. Non ergo unum est privatio divisionis unius entis ab alio ente. II. Quia definitum ponit in definitione. Dicit enim: Unum est privatio divisionis unius entis ab alio. III. Quia quilibet, qui significationes vocabulorum Latinorum callet, & novit per vocem Aliud nullo modo notari idem quod per vocem s u i, intelligit indivisionem entis ab alio non exprimi per primam partem vulgatæ definitionis, quâ dicitur unum esse, quod est indivisum in se &c. IV. Si Authores hujus definitionis per primam ejus partem voluerunt exprimere indivisionem entis ab alio, sequitur

DISPUTATIO

tur illos voluisse talem definitionem concedere: Unum est quod est indivisum ab alio & divisum à quolibet alio, quod ineptum & contradictionem involvit.

7. In secundâ parte definitionis dicitur, unum esse divisum à quolibet alio. Ubi quidem vulgò objicitur: Deus ante creationem rerum fuit unus, non tamen tum ab alio fuit divisus, quia nullum aliud ens erat, à quo Deus divisus dici potuerit. Ergo esse divisum à quolibet alio malè ponitur in definitione unius.

8. Verum nodus hic non est solutus difficilis. Unum enim esse divisum ab alio potest dupliciter intelligi: vel ut per rō aliud importetur aliquid actu existens, & hoc modo verum est, Deum ante creationem non fuisse ab alio divisum, quia tūm nihil præter Deum actu existerat, à quo divisus dici potuerit; vel ut per rō aliud significetur aliquid, sive actu existens, sive potentiâ. & hōc sensu ante creationem rerum quoque Deus erat ab aliis divisus, nempe à creaturis, quæ licet actu tūm nondum fuerint, habebant tamen potentiam ad esse.

9. Aliundè tamen nos probamus, non omne quod unum est esse à quolibet alio divisum, atque ita hoc non debere collocari in definitione

TERCIA.

definitione unius; quia scilicet anima unita corpori non est divisa à quolibet alio, cum non sit divisa à corpore. Sunt enim ista opposita, esse unitum sive conjunctum corpori, & ab eo esse divisum. Anima nihilominus unita corpori una est. Sic in virga duorum palmorum, uterque palmus est unus & tamen ab altero non est divisus, & per consequens non est divisus à quolibet alio. Vid. Pet. Hurt. de Mendotz disp. Met. 4 s. 2.

10. Quidam pro voce divisum, ponunt vocem distinctum, ita ut unum dicatur, quod est indivisum in se & distinctum à quolibet alio. Nos certè negare non possumus, omne ens à quolibet alio esse distinctum, (quemadmodum & anima corpori unita ab ipso distincta est, licet divisa non sit) cur tamen in definitione unius ponatur, non video, cum per hoc, quod dicimus unum esse, quod est indivisum in se, sufficienter concipiatur unum. Sic ergò tota definitio unius hæc: Unum est, quod est in se indivisum.

11. Contra ea, quæ hætenus dicta sunt, non tantæ videntur esse difficultates. Nunc verò ardua sese atque intricata aperit controversia, quid scilicet sit ratio formalis, quam unum addit enti, & perquam distingu-

DISPUTATIO

tur ab aliis affectionibus, an sit aliquid positivum, an verò negatio.

12. Scoti 4. Metaph. q. 4. Ant. Andr. ibidem, q. 3. Nicol. de Orbell. aliorumque Scoti discipulorum sententia est, esse aliquid positivum ex naturâ rei ab ente distinctum.

13. Gabriel Vatzquez 1. p. tom. 2. disput. 128. c. 2. sequutus Bonaventur. 1. dist. 24. a. 1. qu. 1. alique non contemnendi authores statuunt esse aliquid positivum solâ ratione ab ente distinctum.

14. Sententia Scoti sufficienter jam rejecta est per ea, quæ disputata sunt disput. præced. th. 40. 41. & 42. contra illamque militat hoc argumentum, quod proponit Thomas p. 1. q. 11. art. 1. Formale unius, quod unum addit enti, quodque dicitur esse aliquid positivum, ab ente distinctum, aut est unum, aut non. Posterius dici nequit. Quia omne positivum est ens. E & illud positivum est ens. E. & unum. Si est unum, iterum quæro, an sit unum per aliquid additum positivum, an non. Si prius, de illo addito iterum eodem modo quæretur, dabiturque progressus in infinitum. Si verò est unum, sed non per aliquid additum positivum, cur non statim in principio hoc de ente dicebatur.

15. Anton. Andreas & ex eo Nicol. de Orbell.
respon-

expl. q. albedinis non potest, quod dicitur, unum aut albedinis
C. in q. 1. p. 1. v. illud, quod dicitur, unum dicitur, in q. 1.
v. unum. Ad unum autem per se dicitur albi, non id q.

TERTIA. albedinis ad seipsum paries, manifeste

respondent, in hoc argumento committi fallaciam figuræ dictionis, & mutari quo in quod. Dicunt enim positivum illud enti additum non esse unum, sed esse id, quo ens est unum, malè ergò quæri de illo positivo, an sit unum per aliud positivum additum, an verò non, cum scilicet non sit unum. Illustrant exemplo albedinis: Paries est albus per additam albedinem. At ineptè quæritur, per quid albedo sit alba, an per aliam albedinem, an verò per se ipsam, quia ipsa non est alba, sed est id, quo paries est albus.

16. Verum responsio ista nullius est pretii. Sole enim clarius est, illud positivum, in quo rationem unius consistere dicunt, esse unum, & non solum esse id, quo ens est unum. Nam illud positivum est in se indivisum. Omne autem quod in se indivisum est, unum est. Meritò ergò de eo quæritur, per quid sit unum, an per aliquid additum positivum, an non. Exemplum albedinis nihil facit ad rem. Quoniam enim ipsa solum est id, quo aliquid est album, de ea quæstio institui nequit. At illud positivum non solum esse id, quo aliquid est unum, satis probatum est.

17. Thomæ loc. cit. Cajet. ibidem Capr. 1. dist. 24. q. 1. a. 1. Durand. q. 1. & 2. Soncin. 4. Metaph.

DISPUTATIO

q. 4. Favell. q. 5. Jand. q. 4. Domin. de Fland. q. 8. Fonses. ibid. t. 2. qu. 5. Suarez. disput. Metaph. 1. sect. 1. & plurimorum aliorum sententia est, indivisionem quam unum formaliter enti addit, non esse quid positivum, sed esse negationem.

18. Contra hanc sententiam plurima sunt, quæ obijci solent. Vatzquetz. l. c. quatuor proponit argumenta. Primum est ab auctoritate Aristotel. t. 5. lib. 10. Metaph. ubi scribit, in hæc verba: Opponuntur autem unum & multa multis modis; quorum uno unum & multitudo ut indivisibile & divisibile: quod enim aut divisum aut divisibile est, multitudo quedam dicitur: quod vero indivisibile aut non divisum, unum. Cum autem oppositionis quatuor sint modi, horum alius secundum privationem dicatur, contraria erunt profecto, & neg, ut contradictio, neg, ut ea, quæ ad aliquid dicantur. Quibus verbis cum dicat, unitatem & multitudinem esse contraria, quis asseret tantum esse privativè opposita & unitatem formaliter in privatione consistere?

19. II. Utitur argumento ad hominem: Unitas, quæ est principium numeri in predicamento quantitatis, juxta Thomam loc. cit. significat aliquid positivum formaliter, quod alio modo explicari nequit, quàm
quod

TERCIA.

quod sit principium numeri. E. & unitas, quam vocant transcendentalem, quæ non solum in rebus quantis, sed in aliis etiam reperitur, erit formaliter quid positivum, quod principium multitudinis esse dicatur.

20. III. Omnis negatio quæ est in subiecto, oritur ex aliquo positivo. Illud ergo positivum, quod sequitur negatio divisionis, erit formalis ratio unitatis.

21. IV. Quicquid est prius multitudine, non est privatio multitudinis. Unitas est prior multitudine. E. Unitas non est privatio multitudinis. Major prob. quia privatio non est prior habitu, sed habitus est prior privatione.

22. Timpl. l. 2. Met. q. 1. objicit sequentia argumenta, quæ ex Scotistis aliisque Scholasticis desumpsit. Sic igitur argumentum V. Nulla negatio arguit perfectionem entis. Unitas arguit perfectionem entis. E. Unitas non est negatio. Minor prob. Quò n. aliquid magis accedit ad unitatem, eò est perfectius, & quò magis ab ea recedit, eò est imperfectius.

23. VI. Quicquid reducitur ad positivum tanquam ad suum principium & fontem, id non est negativum. Unitas reducitur ad positivum, tanquam ad suum principium & fontem. E.

DISPUTATIO

non est quid negativum. Maj. prob. quia absurdum est aliquid negativum reduci ad positivum, & in primis ad summum positivum tanquam ad principium & fontem, non minus ac imperfectionem reduci ad primam & summam perfectionem. Min. probatur, quia unitas reducitur ad primam unitatem tanquam ad principium & fontem suum. Prima autem unitas est proprietas Dei positiva.

24. VII. Mensura non est quid negativum. Unitas est mensura, nempe multitudinis. E. Unitas non est quid negativum.

25. VIII. Quod est causa efficiens entis positivi, illud est ens positivum. Sed unitas est causa efficiens entis positivi, nempe identitatis & multitudinis. E. unitas est aliquid positivum. Minor probatur, quia aliàs causa efficiens esset toto genere deterior suo effectu.

26. IX. Quicquid fundatur in positivo est positivum. Unitas fundatur in positivo. E. Minor probatur, quia unitas in ente increato fundatur in absoluta illius simplicitate, in ente verò creato oritur ex unione plurimum. At tam simplicitas absoluta quam unio est aliquid positivum.

27. X. Negatio non recipit magis & minus.

TERTIA.

nus. Unitas recipit magis & minus. E. Unitas non est negatio.

28. XI. Negatio negationis est affirmatio. Unitas est negatio negationis. E. Unitas est affirmatio. Minor prob. Unitas addit entis indivisionem. Sed indivisio est negatio divisionis, quæ divisio & ipsa negatio est. Major prob, quia duæ negationes affirmant.

29. XII. Quicquid componit ens positivum, positivum sit necesse est. Unitas componit ens positivum. E. Unitas quid positivum sit necesse est. Minor prob, quia unitas componit numerum sive multitudinem. Numerus autem est quid positivum.

30. Hæc sunt potissima argumenta, quibus sententia Thomistarum oppugnari solet. Potest verò ea sic suaderi: Unitas formaliter non est ens rationis, quia unaquæque res est una citra mentis operationem; nec est aliquid positivum reale ex natura rei, aut ratione ab ente distinctum, ut clarum est ex ib. 14. E. est negatio. Consequentia probatur, quia nihil aliud præter enumerata cogitari potest, in quo consistat ratio unius.

31. Antequam verò ad opposita argumenta respondeamus, illam controversiam, quæ quaritur, an indivisio illa, quam unum importat, sit negatio pura, an verò privatio,

non.

DISPUTATIO

non abs re esse videtur, si discutiamus. Com-
munis sententia est non esse puram negatio-
nem, sed privationem, vel, ut loquuntur Fon-
seca & Suarez, dici per modum privationis;
quia enim unum non negat formam cuius sit
capax subjectum, ideo non est simpliciter
privatio; quia verò dicit negationem non
quomodocunq; , sed quasi adhaerentem enti
reali, quod connotat, ideo non est pura nega-
tio, quia pura negatio dicit negationem sim-
pliciter & non q addendo eam enti reali. Est
ratio *Suarez n. cit.*

33. Fonseca q. cit. s. s. utitur hoc argumen-
to: Si unum adderet enti negationem divi-
sionis per modum puræ negationis & non
potius per modum privationis, etiam non
ens esset unum. Posterius est absurdum.
Ergo & prius. Major patet, quia pura
negatio etiam non entibus competit. Minor;
quia unum est affectio entis, E. solis entibus
convenire debet.

34. Didac. Mas. l. cit. cap. 10. sic argumen-
tatur: Simplex negatio nulli enti tanquam
fundamento innititur. Sed indivisio, quæ no-
mine unius exprimitur, innititur enti tan-
quã fundamento E. non est simplex negatio.

35. Quidam ità argumentatur: Quæcun-
que negatio significatur ut addita subjecto,
illa

TERTIA.

illa non est pura negatio. Negatio divisionis significatur per unum, ut addita subjecto, nempe enti. E. negatio divisionis non est pura negatio. Major probatur, quia negatio pura simpliciter significatur, non ut addita subjecto; & idcirco extendit se ad ens & non ens. Minor probatur. Unum est terminus connotativus, ut patet. Sed connotativa significant formam non absolute, sed semper ut alicui adhaerentem vel additam.

37. Ego existimo nihil absurdi esse, si dicamus, indivisionem esse puram negationem, vel saltem esse privationem cum tribuitur rebus compositis, quæ aptæ sunt dividi, puram autem negationem esse cum tribuitur rebus simplicibus & divisionis incapacibus. Si n. entitas concepta sub ratione privationis potest esse proprium attributum; non video quid obstat, quo minus etiam concepta sub pura negatione attributum esse possit. Hanc sententiam tribuit *Masius Alexandro Alesse 1. part. Theol. q. 13. memb. 1. Vatzquetz verò & Suarez 2. cit. referunt Alexandrum loc. cit. inter eos, qui statuunt formale unius esse quid positivum ratione ab ente distinctum.*

38. Vulgare est hoc argumentum: Quæcunque negatio tribuitur etiam subjecto incapaci formæ, quam negat, illa non est privatio

vatio

DISPUTATIO

vatio, sed pura negatio. Sed indivisio est talis. E. Minor patet, quia Deus dicitur unus & indivisus, qui tamen non est capax divisionis.

38. Vulgaris ad hoc argumentum est responsio, quâ major negatur. Dicunt enim, sufficere ad privationem, quod formæ, quam negat, alia subjecta sint capacia, etsi illud, cui modo tribuitur, non sit capax. Pro quo notant ex *Aristot. 5. Met. c. 22*, privationem tribus modis sumi; primo quidem pro carentiâ formæ, quæ licet ab illo, cui tribuitur, non sit apta haberi, est tamen apta haberi ab alio, quâ ratione plantas dicimus cœcæ, eò quod non habent visum, qui ab animalibus haberi potest. Secundo pro carentiâ formæ, quam aliquid non habet, cum tamen vel ipsum vel genus ejus habere illam aptum sit, sicut talpa dicitur cœcus propter carentiam visus, quem obtinere animal aptum est, & sic etiam talpa, quia animal est, obtinere eum aptus est, licet ejus non sit capax ex specificâ naturâ, Tertio pro carentiâ formæ in subjecto capaci eo tempore quo est capax, sicut catulum si post nonum diem videre nequeat, cœcum dicimus. Ex his dicunt majorem valere tantum de privatione in tertiâ & propriissimâ acceptione, quo quidem modo indivisionem,

cum

TERTIA.

cum Deo tribuitur, privationem non esse concedunt.

39. Hanc responsionem non admittit *Mendoza disp. cit. f. 2. S. 43.* Si enim ad privationem sufficit, formam cui opponitur, esse aptam haberi ab alio subjecto, et si ab illo, cui modo tribuitur, non sit apta haberi, etiam non videns lapidi attributum non esset pura negatio, sed privatio, quia licet lapis non sit capax visus, animal tamen capax est, imò sequeretur, vix ullam dari puram negationem, quia semper vel plerumque id, cui negatio opponitur, est aptum ab aliquo haberi. Plura contra hanc responsionem disputat *l. c. Mendoza*, quæ, qui vult, videat.

40. Ego sic argumentor: Privatio tribuitur improprie subjecto non capaci, cuius tamen alia sunt capacia. (quod fit primo & secundo modo.) At indivisio est privatio. Ergo tribuitur improprie subjecto non capaci divisionis, cuius tamen alia sunt capacia. Ergo Deus improprie dicitur indivisus & unus. Hoc autem absurdum est. Major est verissima, Lapis n. improprie dicitur cæcus, mutus, surdus, & sic in aliis. Absurda igitur erit minor.

41. Quod attinet Aristotelem, ille non statuit triplicem esse privationem in se, ut
intel

DISPUTATIO

intelligit Masius & alii, sed vult solum unam eandemque privationem interdum attribui subjecto, quod licet ipsum formæ capax non sit, capacia tamen sunt alia; interdum subie- cto, quod licet capax non sit formæ ex speci- ficâ natura, genus tamen ejus capax est; In- terdum subjecto capaci, qui posterior modus proprius est, priores improprii. Quæ cerre sententiæ neque illos, quos contra disputa- mus juvat, neque nobis obest.

42. Circa solutionem argumentorum, thes. 32. 33. 34. 35. propositorum, in primis il- lius, quo Fonseca utitur, considerata venit alia quædam controversiuncula. Fonseca n, statuit, rationem formalem unius esse solam indivisionem; aliorum verò sententia est, esse entitatem, ut stat sub indivisione.

43. Quod ut intelligatur, aliqua quæ ve- rissima sunt, præsupponere oportet. I. Omne attributum & omnis affectio addit aliquid ei, cujus est affectio, hoc est, ut mihi explican- dum videtur, auditâ voce alicujus attributi vel affectionis, concipitur aliquid, quod non concipitur auditâ voce subjecti, quodque posterior est conceptu quiditativo subjecti, quemadmodum auditâ voce, risibile, concipi- tur risus, qui non concipitur auditâ voce, ho- mo, qui est subjectum risibilitatis.

44. Et

TERTIA.

44. Et ratio est manifestissima, quia si non conciperetur aliquid, auditâ voce attributi vel affectionis, quod non concipitur, auditâ voce subjecti, vel nihil conciperetur, vel subjectum & attributum essent synonyma. Debere etiam id, quod additur subjecto, esse ipso quodammodo posterius, in confesso est. Id verò cui aliquid additur dici solet *materiale*, id quod additur, *formale*.

45. Est autem additio interdum realis, quando scilicet id, quod additur, secundum rem differt ab eo, cui additur, quomodo album addit parieti albedinem, quia albedo à pariete realiter differt; interdum est rationis, quomodo species addit generi differentiam, v. gr. homo animali rationalitatem, quia differentia solâ ratione à genere differt.

46. Ubi iterum nota, non solum in attributis & affectionibus respectu suorum subjectorum, sed in aliis quoque locum habere additionem, quemadmodum perspicuum est in modo posito exemplo. Diximus enim speciem addere generi differentiam.

47. II. Ratio formalis, quæ à Javello 51 // Metaph. quest. 20. definitur *conceptus quidam // ditativus datus per predicata per se in primo // modo,*

F

modo,

DISPUTATIO

modo, interdum consistit solum in eo, quod alicui additur, e. gr. ratio formalis calidi vel caloris non includit in se ignem, aut corpus, cui calor est additus, sed consistit in solâ qualitate illa sensibili, quæ congregat homogenea, & disgregat heterogenea, sicut 1. de gen. & corr. calor ab Aristotele definitur. Interdum ratio formalis includit tum id quod additur, tum id cui additur, hoc est, tam ratio addita, quam ratio cui additur, est de conceptu quidditativo rei, e. g. in ferrâ considero duo, primum est ferrum, secundum est dentatio sive dentatum esse, ratio formalis ferræ non consistit solum in esse dentato, quod additur ferro, sed includit simul ipsum ferrum. Nam si ratio formalis ferræ consisteret solum in esse dentato, etiam lignum vel pannus dentatus esset formaliter serra. Posterius absurdum est. E. & prius. Conseq. probatur. Cui competit ratio formalis, ei res ipsa competit formaliter. Minor probatur: Serra formaliter est instrumentum. Nihil autem propriè & formaliter dicitur instrumentum, nisi sit aptum inservire actioni principalis agentis. Serra pannea non est apta inservire artificio. E. propriè & formaliter serra non est. Vid. Soar. disp. cit. s. 2. n. 7.

46. III. Cùm audis vocem, formale vel
for-

TERȚIA.

formaliter, interdum intelligitur tota ratio formalis, includens & id quod additur & id cui additur, interdum intelligitur solum id, quod additur & complet rationem alicujus. Diversam hanc acceptionem insinuat *Janel.* l. cit. q. 8.

47. His præsuppositis, intelligis, quid Fonsēca velit, & quid alii, nempe ille statuit rationem formalem unitatis consistere solum in eo, quod unitas addit enti, nempe in indivisione, entitatem verò esse extra rationem formalem unius, quemadmodum subjectum non est de ratione albedinis, quæ ipsi inest. Alii autem dicunt, entitatem quoque in formali ratione unius includi, ita ut unitas formaliter sit ipsa entitas, ut est indivisa, quemadmodum integra ratio formalis ferræ non tantum figuram importat, sed etiam certam materiam,

48. Hæc ultima sententia est satis probabilis neque continet quidquam absurdi. Videatur *Suarez. disput. cit. sect. 2.* ubi & aliquot pro posteriori sententia argumenta proponit & simul ad rationes à Fonsēcâ contra eam propositas respondet.

49. Jam quod argumentum Soarii *th. 32.* propositum attinet, ejus priorem partem,

DISPUTATIO

qua probat indivisionem non esse simpliciter privationem concedo; ad posteriorem, qua probare conatur, non esse simpliciter negationem, respondeo, quæstionem non esse de uno juxta totum suum significatum, quod quia non solum negationem divisionis importat, sed insuper entitatem, tanquam subjectum illius negationis, concedimus, dicere negationem quasi adhaerentem, subjecto reali, & sic non esse puram negationem; quæstio verò est de ipsa indivisione, quam unum pro formali importat, hanc dicere negationem divisionis non quomodo-cunque, sed q. additam enti reali ulterius probare Suarez debuerat. Certè ipse ibi asserit, indivisionem competere non enti, etiam negat non ens posse dici unum.

50. In argumento Fonseca *thes. 33.* adducto nego consequentiam majoris. Etsi enim statuatur indivisio esse pura negatio, tamen non ens non erit unum, quia ratio formalis unius sine absurditate constituitur non in solâ negatione, sed in ipsâ entitate, quatenus concipitur sub negatione. Quamvis autem indivisio non enti competat, non tamen competit ipsi entitas indivisa.

51. Ad argumentum Masii *sup. th. 34.* statim responderi potest, in minore committi peti-

TERTIA.

petitionem principii; quia ibi dicitur, *divi-*
sionem, quæ nomine unius exprimitur, inno-
ti enti tanquam fundamento, non autem,
probat.

51. Ad argumentum *th. 35.* negatur major.
Nam non album significat negationem al-
bedinis, ut additam subjecto, quia est termina-
nus connotativus, ut videre est apud *Dom.*
Bann. l. 1. instit. Min. Dialect. tr. 1. c. 1. cum ni-
hilominus sit pura negatio.

52. Cæterum quicquid sit, siue dicatur
unius formale esse privationem, aut per
modum privationis, siue puram negationem, ar-
gum. *thes. 18. & seqq.* proposita, existimo non
probare id ad quod probandum adhibita sunt.

53. Primum quod attinet, non video, quo-
modo aliter ex verbis Philosophi arguere
liceat, quam hoc vel simili modo: Qua con-
sideratione aliqua opponuntur contrariè, eâ
utrumque est aliquid positivum. Quia con-
trarietas est inter duo extrema positiva. U-
num & multa quatenus considerantur ut
indivisum & divisum opponuntur contra-
riè. E utrumque eorum hac consideratione
est aliquid positivum.

54. Locus hic multum negotii facessit il-
lis, qui rationem unius negativam propugnant
& varii varias excogitarunt responsiones,

DISPUTATIO

sed parum commodas, quibus nos recensendis & refutandis tempus non terimus, sed breviter respondemus. Aristotelem usurpasse vocem contrarietatis latius, prout comprehendit sub se oppositionem privativam & contrariam in specie sic dictam.

55. Est certè hæc acceptio non infrequens apud Aristot. In principio enim capituli 7. eiusdem libri dicit primam contrarietatem esse habitum & privationem. Et 1. Phys. asserit ex principiis corporum naturalium duo esse contraria, formam nempe & privationem. Eandem acceptionem præsens textus non respuit, sed omninò admittit. Imò, non videtur propria acceptio vocabuli contrarietatis hic locum habere posse. Si enim divisum & indivisum, vel, quod eodem recidit, unum & multa sub ratione indivisi & divisi sunt contraria, & verò utrumque contrariorum est aliquid positivum, sequitur, divisum formaliter esse quid positivum, quod tamen absurdum, quia divisionem esse negationem etiam illi statuerunt contra quos jam disputamus, nempe illi, qui unum formaliter aliquid positivum esse asserunt.

56. Inquis: Quando enumerantur omnes species alicujus generis, tunc omnes voces, quibus species significati solent, proprie

TERTIA.

propriè accipiuntur, neque ulla ita latè sumitur, ut aliam quoque speciem comprehendat, quoniam nimirum includens & inclusum, non augent numerum. At in loco Philosophi præsentis enumerantur species oppositionis. Ergò omnes voces, quibus species ejus significari solent, propriè accipiuntur. Et per consequens vox contrarietatis non accipitur ita latè, ut privativam oppositionem comprehendat.

57. Resp. Negando minorem. Philosophus quidem hoc loco dicit, quatuor modis sese habere oppositiones, verum eas in specie non accuratè recenset, sed postquam posuit & quasi enumeravit unum, nempe oppositionem privativam, ex tempore infert primò affirmativè, nempe unum & multa esse contraria, deinde negativè, non esse, contradictoriè, neque relativè opposita. In enumeratione autem modorum vel specierum alicujus generis illatio locum non habet.

58. Cæterum Philosophum in hoc textu statuere unitatem esse formaliter quid positivum & opponi multitudini ut contrarium contrario, voce hâc propriè acceptâ, ostendere nititur Vatzquetz ex sequentibus Philosophi verbis, quæ sic habent: *Dicitur autem unum ac declaratur ex contrario unum, nempe ex*

DISPUTATIO

divisibili indivisibile, quod multitudo magis subiecta est sensibus, & id quod divisibile est, quam id quod dividi nequit. Quibus verbis dicit Vatzquetz Philosophum occurrere objectioni; nempe quis quærere potuisset, quoniam unum opponatur contrarie multitudini, atque ita aliquid positivum sit, cur significetur nomine negativo, nempe negatione multitudinis sive divisionis. Respondere Aristotelem, dicit Vatzquetz, id propterea fieri, non quod unum reverâ in negatione divisionis consistat, sed quia multitudo & divisio sensui magis subiecta atque ita notior sit unitate, & quia, ut ait paulò inferius, simplicia & prima, qualis est unitas, melius negatione significantur, etsi eorum ratio sit positiva.

59. Verum nos dicimus cum Fonseca in hunc locum non huic, quam Vatzquetz fingit, sed alii objectioni occurrere allegatis verbis Philosophum voluisse, nempe superius dixerat Philosophus, unum esse principium ac mensuram multitudinis, cum hoc pugnare videtur, quod modo asseruit unum opponi multitudini, ut indivisum diviso. Sic enim sequi videtur, unum posterius esse multitudinis, tanquam privationem habi-

tu,

TERTIA.

tu. Huic ergo tacite objectioni respondet Aristotel. dici quidem ac declarari unum ex suo contrario tanquam indivisum ex diviso, non tamen tanquam ex aliquo priori simpliciter, sed posteriori, tamen si priori secundum rationem idque propter sensum. Est enim multitudo, cum sit magis composita, cognitu facilior secundum sensum, quam unum & eâ ratione prior; quamvis simpliciter posterior habeatur quam unum, cum ex uno atque adeo pluribus, ut sic dicamus, unis constet.

60. Hanc v. esse genuinam huius loci explicationem & voluisse Philosophum respondere objectioni, quæ moveri poterat, non de hoc, quod unum sit positivum quid, & tamen significetur per negationem divisionis, ut Vatzquetz fingit, sed de prioritate inter unum & multa, uti nos cum Fonseca statuimus, patet ex illis verbis, quæ apud Philosophum hoc textu immediate sequuntur: *Itaque ratione, inquit, prior est multitudo quam indivisibile, itaque propter sensum.* Et hæc de primo argumento Gabrielis Vatzquetz.

61. Ad II. respondeo: *Thomas loc. cit.* non dicit, unitatem quæ est principium numeri, in predicamento quantitatis, significare aliquid positivum, sed dicit unum, quod

DISPUTATIO

convertitur cum ente non addere rem vel aliquid positivum supra ens, unum verò, quod principium numeri est, addere aliquid, scilicet positivum supra ens ad prædicamentum quantitatis pertinens. Unum quod convertitur cum ente, neque quoad ultimam suam formalitatem, neque quoad fundamentum istius formalitatis, addit aliquid positivum supra ens, cum fundamentum hoc sit ipsum ens.

At v. unum quod est principium numero de prædicamento quantitatis, quia est conceptus specificus entis, addit aliquid positivum supra ens, quod pertinet ad prædicamentum quantitatis, addit præterea etiam negationem divisionis, quæ est ultima ratio unitatis, adeò ut formale unius de prædicamento quantitatis sit ipsa negatio divisionis, quam unum, quod convertitur cum re, supra ens addit; illud positivum autem formaliter sumptum est tanquam fundamentum & materiale unius de prædicamento quantitatis.

62. Sed regerit Vatzquetz, ex hac responsione sequi, numerum de prædicamento quantitatis formaliter non nisi privationibus constare. ?

63. Resp. Nego sequi, quia etsi unitatis formale, ut à materiali distinguitur, est solum
nega

TERTIA.

negatio, tota tamen ratio formalis unitatis includit etiam entitatem. Unde potius sequitur numerum non solis privationibus formaliter constare, quia scilicet unitates, ex quibus constat, etiam aliquid positivum important.

64. Ad III. negatur consequentia, quia id ex quo aliquid sequitur, non est formale eius quod sequitur, quemadmodum propria passio oritur ex natura subjecti, quæ tamen non est formale passionis.

65. Ad IV. Negatur major. Edentulum esse est privatio, & tamen prius est generationis ordine, hominem dentibus carere, quam eos habere. Sic juxta communio-rem sententiam immaterialitas est privatio materialitatis, prius tamen est ens immateriale quam materiale, cum Deus, qui immaterialis est, sit primus omnium. Deinde si vel maxime major vera sit de privatione, tamen non est vera de negatione in sua latitudine. Potest enim negatio pura prior esse formæ, cui opponitur, sicut non materiale est prius materiali, & non dentatum in homine est prius dentato, atque sic hoc argumentum non obstat, quo minus unum dicatur formaliter esse negatio, si vel maxime obstat, quo minus sit privatio.

66. Ad

DISPUTATIO

65. Ad V. Negatur major: quia quod aliquid ens non est finitum (quæ certè negatio est) arguit perfectionem, quod etiam asserendum de negatione materialitatis in substantia completa. De Minore jam nihil. Forfan de ea occurret aliquid *diff. seq.*

66. Ad VI. Thomistæ negant minorem. Asserunt enim unitatem, quâ Deus est unus etiam in negatione consistere æquè ac reliquarum rerum unitates. Sed nec major, universalis esse videtur. Annon enim eclipsis Lunæ, quæ est privatio luminis, refertur ad opacitatem terræ inter Solem & Lunam interpositæ, tanquam ad principium & fontem, cum nihilominus opacitas terræ aliquid positivum sit.

67. Ad VII. Respondetur ad maj. dicendo mensuram in ratione sua duo includere; debet esse nota & certa. Juxta hoc quod est certa, certè est quid negativum. Est enim certa per hoc quod est indivisibilis: Mensura enim, cui aliquid addi vel detrahi per divisionem potest, non est certa, & sic non est vera mensura. Oportet igitur, ut sit indivisibilis.

68. Inquis: Ulna est divisibilis. Ulna est mensura. E. quædam mensura est divisibilis. Resp. ad majorem: Ulna simpliciter est divisibilis.

TERTIA.

fibilis, habet enim extensionem. Sed non est divisibilis, ut maneat ulna. Si enim quid ipsi detrahas non manet ulna. Quod igitur dicitur mensuram debere esse indivisibilem, intelligendum est secundum quid, si scilicet manere debeat talis mensura.

69. Ad VIII. Negatur minor, tum quia unitas nullius rei causa efficiens proprie esse potest, siquidem & juxta Timplerum, unitas in indivisione consistit. At indivisio non est potentia aliqua activa, nec habet potentiam activam. Ut v. aliquid sit causa efficiens proprie, potentia activa requiritur; tum quia multitudo formaliter est quid negativum. Importat n. formaliter divisionem entitatum in ipsa contentarum. Divisio a. negatio est.

70. Ad IX. Majorē esse falsam patet tū ex solutione arg. VI. tū inde quod privatio fundatur in subiecto positivo, ut tenebrę in aere.

71. Ad X. Major negatur; *Et si enim, inquit Fonseca 4. Met. c. 2. q. 5. sect. 3. privationes non recipiant magis & minus ratione sue, possunt tamen utrumque admittere ratione rerum, quarum sunt privationes. Hoc enim pacto aer dicitur magis & minus tenebrosus, quia lumen cuius tenebrę sive obscuritas est privatio, magis & minus advenit. Cum ergo divisio, cuius privatio est indivisio, aliquo modo recipiat magis & minus, non mirum si*

sequitur;

DISPUTATIO

unum, quod privativum divisionis dicitur, magis & minus admittat.

72. Ad XI. Respondet Suarez ad minorem dicendo, indivisionem esse negationem divisionis, non quatenus divisio sit negatio; sed quatenus sit aliquid positivum. Dicit enim in divisione duo esse consideranda: primum quod entia inter se divisa sint quasi in se completa & terminata suis entitatibus: secundum, quod unum non sit aliud. Hoc posterius asserit esse negationem, primum verò esse quid positivum & fundamentum illius negationis. Declarat autem hanc distinctionem exemplo quantitatis discretæ & dicit, lineas esse plures, importare unamquamque propriis terminis esse terminatam, inde autem sequi, eos non habere terminum communem. Respondet ergò indivisionem esse negationem divisionis, non quatenus divisio importet negationem, sed quatenus sit aliquid positivum, in quo illa negatio fundetur.

73. Verum hæc responsio non est admit-
tenda. Divisionem enim formaliter non
consistere in terminis positivis, hoc est, in eo,
quod entia propriis terminis sint terminata;
probo 1. Quia sine quo aliqua concipiuntur,
ut divisa in eo non consistit ratio formalis
divi-

TERTIA.

divisionis. At sine positivis essentiæ terminis aliqua concipiuntur ut divisa. E. in positivis terminis non consistit formalis ratio divisionis. Minor patet, quia quando concipis aliqua carere unione, quæ negatio quædam est, jam concipis ea esse divisa, neque opus est, ut concipias, illa propriis essentiæ terminis esse terminata. 2. Quo sublatô aliqua manent formaliter divisa, in illo non consistit formaliter divisio. At sublatis illis terminis positivis aliqua manent formaliter divisa. E. in illis terminis non consistit formaliter divisio. Minorem probo: Pone per potentiam Dei absolutam, vel si hoc fieri posse neges, pone per impossibile, à duobus lignis sublatos esse proprios terminos, non tamen esse unita, illa ligna jam erunt divisa.

74. Hoc præsupposito contra Scotarium ulterius ita argumentor: Indivisio est negatio divisionis formaliter sumptæ sicut injustitia est privatio justitiæ formaliter sumptæ, imperitia privatio peritiæ formaliter sumptæ, & in universum omne nomen negativum constans ex particula privativa IN significat privationem ejus conceptus formaliter, quem significat illud nomen cum quo dicta particula IN componitur. Negatio terminorum positivorum non est negatio divi-

DISPUTATIO

Divisionis formaliter sumptæ, quia illi termini positivi non sunt negatio formaliter sumpta. Ergo indivisio non est negatio terminorum positivorum.

75. Præterea non placet quod dicit Soar. terminos illos proprios & positivos esse fundamentum dictæ negationis. Fundamentum enim est prius eo, cujus est fundamentum. At termini illi non sunt priores negatione illâ unionis, sed hæc est prior illis. Nam si duæ partes aquæ à se invicem separantur, non ideò sunt separatae & non unitæ, quia proprios terminos habent, sed potius ideò habent proprios terminos, quia à se invicem sunt sejunctæ & non unitæ. Patec ergò negationem illam unionis esse potius fundamentum & causam terminorum positivorum.

76. Sed & aliam responsionem ad undecimum hoc argumentum adducit Suarez ex *Thoma 1. dist. 24. q. 1. art. 3. & Socr. 10. Metaph. q. 4. nempe majorem non esse veram si intelligatur de affirmatione formaliter, quia ratio possit super unam negationem reflecti illamque negare & per negationem explicare aliquod positivum simplex, quod prout in se est, declarare non possit. Secundum rem verò & æquipollenter esse verum, & sic etiam*

indi-

TERTIA.

indivisionem formaliter & secundum rationem esse negatione, secundum rem autem magis se habere ad positivum, ita tamen ut hoc positivum, quod illis negationibus circumscribitur, nihil sit præter entitatem ipsius rei, quæ una dicitur.

77. Ego existimo majorem: Negatio negationis est affirmatio, intelligendam esse de propositionibus, quando scilicet in una propositione duæ sunt negationes, tunc propositio est affirmativa, quemadmodum idem est dicere: Nullus homo non est rationalis, & omnis homo est rationalis. Aliàs existimo non esse simpliciter verum etiam secundum rem. Nam non cæcus est negatio negationis, & tamen non est affirmatio sive conceptus positivus.

78. Inquis: Non cæcus est idem quod videns, sicut idem ille homo, qui est non cæcus, est videns. Non cæcus ergò non est negatio.

79. Respondeo negando antecedens, quamvis enim si de subjecto capaci cæcitatæ loquamur, non cæcus sit videns, ut de homine est manifestum, si tamen de non cæco secundum se & in sua latitudine loquamur, non est idem quod videns, quia de lapide possum dicere, quod sit non cæcus, de quo tamen affirmare nequeo, quod videns sit. unde

G liquet

DISPUTATIO

liquet non cœcum neque formaliter neque secundum rem esse quid positivum in lapide.

80. Quod attinet argumentum XII. conclusio eius non est opposita sententiæ Thomistarum, atque ita totum concedi potest. Non certè negant Thomistæ unitatem esse quid positivum, quoad materiale scilicet. Est enim unitas ipsa entitas, quæ positivum quid est Formale unius solum dicunt esse negationem. Probandum igitur erat, unitatem quoad formale positivum quid esse. Quod attinet numerum eadem est ratio. Namque licet numerus quoad materiale positivum quid sit, quoad formale tamen negatio est, cum formaliter importet entia divisa; divisio autem negatio est.

81. Atque hæc de sententiâ Thomistarum circa rationem formalem unius latius dicta sunt. Cæterum antequam huic disputationi finem imponam, non possum, quin iudicium & sententiâ Mendozæ de hac controversiâ & propositis opinionibus breviter subjungam. Ille igitur statuit 1. Unitatem consistere formaliter in indivisione rei in se. 2. hanc indivisionem significari per negationem. 3. dicit indivisionem atque sic unitatem formaliter non esse negationem, sed conceptum positivum,

TERTIA.

positivum, quemadmodum, cum homo dicitur non-coecus, non coecus significatur per modum negationis, id tamen, quo coecitas formaliter in homine expellitur, & quod huic voci, non coecus in homine respondet, est aliquid positivum, nempe potentia videndi.

82. Atqui, inquis, supra probatum est, unitatem formaliter non posse esse positivum quid, quia scilicet sequitur progressus in infinitum.

83. Resp. Docet Mendoza unitatem esse quid formaliter positivum dupliciter posse intelligi. 1. Ut illud positivum sit ab ente adaequatè distinctum, atque sic ipse Mendoza, rejicit illam sententiam, quæ unitatem in positivo formaliter constituit, & nos eam supra rejecimus, sic enim revera sequitur progressus in infinitum. 2. Ut illud positivum non sit ab ente adaequatè distinctum, sed sit ipsa entitas, concepta tamen cum connotatione divisionis, atque sic cum illa indivisio sit ipsa entitas, non videtur sequi progressus in infinitum.

84. Hujus sententiæ statuit Mendoza esse ipsum Thomam & alios. Et certè verba Thomæ citata à Mendoza eam planè indicare videntur. *Lib. 1. dist. 24. q. 3. art. 3. ad primum sic ait Thomas: Unde dico, quod negatio ista, in qua*

DISPUT. TERTIA.

Perficitur ratio unitatis non est nisi negatio rationis tantum. Item ad secundum: dicendum quod ex predictis patet, unum non importare negationem, nisi in ratione, unde secundum rem magis se habet ad positionem, quam multitudo, in qua importatur realis negatio. Vid. supra th. 26. Nos plura de his in ipso disputationis actu. Nunc solum cogimur abrumpere ne in molem instituto nostro longiorem tela excurrat.

Corollaria.

An unum cum ente reciprocetur? Aff. contra Gabr. Vatzquetz & alios.

An entis divisio in unum & multa possit subsistere? Affirm.

Inepta est definitio Timpleri, qua dicit, unitatem esse actum unius, quatenus est unum.

An unum sit negatio multitudinis? Resp. Unum esse negationem multitudinis potest dupliciter intelligi. 1. ut neget multitudinem simpliciter in rerum natura, & sic unum non est negatio multitudinis. Est namq; quilibet homo unus, quamvis multi homines sint in rerum natura, neq; hoc, quod quilibet homo est unus, obstat, quò minus dentur multi homines. 2. ut neget multitudinem alicujus entis in se & sic unum est negatio multitudinis. Per hoc n. quod quodlibet ens in se est indivisum impossibile est aliquod ens in se esse multa entia.

DISP. IV.



THESIS I.



Uperiori disputa-
tione naturam u-
nius in sua latitudi-
ne contemplati sumus.
Non abs re videtur, si
nunc quasdam ejus di-
visiones adducamus. Et in hac quidem
disputatione agemus de uno per se & per acci-
dens, de simplici & composito, de toto & par-
tibus.

2. Primò igitur proponimus illam
divisionem, qua aliquid dicitur unum
vel per se vel per accidens. Qua de materia
vide Arist. c. Metaph. 5. 6. & 7.

3. Termini, per se & per accidens
sunt æquivoci. 1. Dicitur aliquid per
se vel per accidens ratione unitatis. Per
se unum dicitur, quod revera unius est
naturæ, quomodo homo est unum. U-
num per accidens dicitur, quod includit
duas vel plures naturas in actu perfecto

A

&

DISPUTATIO

& ut plurimum diversi generis, ut homo musicus. 2. Dicitur aliquid per se vel per accidens ratione modi esse & dicitur ens per se, quod per se subsistit & est substantia. Ens per accidens autem dicitur quod in alio existit. Quanquam hac acceptione potius dicatur accidens, quam ens per accidens in communi usu. 3. Dicitur aliquid per se vel per accidens ratione causalitatis, quomodo causa dividitur in causam per se & per accidens. 4. Dicitur aliquid per se vel per accidens ratione prædicationis, quemadmodum animal per se, album autem per accidens de homine prædicatur. Consulatur *Aristot. 1. poster. cap. 4.*

4. In præsentiarum accipiuntur termini isti primo modo videturque omnino hoc modo divisio unius in unum per se & per accidens eadem cum illa, qua ens aliud dicitur per se, aliud per accidens à philosopho *cit. l. 5. Met. cap. 7.* Dicitur enim ens per se vel per accidens propter unitatem, quia scilicet unum per se est vel per accidens. Qua propter nos in hac tractatione sine discrimine utemur his terminis, ens per se &
unum

QUARTA.

unum per se, ens per accidens & unum per accidens. 5. Pervulgata est hæc definitio: Ens per accidens est, quod constat ex rebus diversorum prædicamentorum. Sed nos dicimus, esse eam nimis angustam. Acervus lapidum non constat ex rebus diversorum prædicamentorum. Omnes enim lapides sunt ejusdem Prædicamenti & naturæ. Acervus lapidum est ens per accidens. E. quoddam ens per accidens non constat ex rebus diversorum prædicamentorum. Præterea *Arist.* 5. *Met.* 6. dicit, quod iustum & Musicum sint unum per accidens, iustum tamen & Musicum reducuntur ad idem prædicamentum. Quid quod receptissima est sententia ex duobus entibus in actu completo non fieri unum per se, sed per accidens. Quando ergo aliquid constat ex duobus entibus in actu completo est ens per accidens, sive illa ex quibus constat sint unius prædicamenti sive diversorum.

6. Dixi, ex duobus entibus in actu completo non fieri unum per se. Inquis; Quantitas est unum per se. Quantitas fit ex duobus entibus actu completo. E.

A 2

quod-

DISPUTATIO

quoddam quod fit ex pluribus entibus actu completo, est ens per se. Minor probatur, si habes plures lineas, quæ sunt entia completa, ex illis per continuationem fit una linea.

7. Respondeo ad min: eiusque probationem per inficiationem. Etenim illæ lineæ sunt plures actu completo ut à se invicem disjunctæ considerantur, quando vero considerantur ut actu in tota linea, tanquam eius partes continentur, non sunt duæ lineæ aut plura entia actu, sed tantum potentia.

8. Arist. cit. t. 6. & 7 non explicavit rationes unius per se & per accidens per proprias definitiones, sed solum variis exemplis varios modos unitatis per se & per accidens proposuit. Estque revera admodum difficile accuratè horum tradere definitionem.

9. Suarez, disp. Met. 4. s. 3. sic definit, *Ens per se est, quod habet præcisè ea, quæ ad essentiam, integritatem vel complementum talis entis in suo genere per se & intrinsecè requiruntur.*

10. Dicitur præcisè. Nam quod habet quidem ea, quæ ad suam essentiam & integri

QUARTA.

integritatem vel complementum intrinsece & in suo genere pertinent, si non solum hæc habet, sed alia etiam ulterius, quatenus simul cum illis sumitur. Sic ignis præciso calore & aliis accidentibus, quæ ipsi insunt est ens per se, quatenus verò calorem vel aliud accidens simul cum ipso fumo, quod fit cum dico, ignis calidus est ens per accidens.

11. Dicitur deinde, *quæ ad essentiam vel integritatem aut complementum requiruntur.* Potest enim constituere aliquid cum aliquo ens per se etsi non pertineat ad rei essentiam, modo pertineat ad eius integritatem vel complementum. Sic manus cum reliquo corpore unum per se constituit, licet ad essentiam totius corporis non requiratur, requiritur tamen ad eius integritatem.

12. Dicitur, *in suo genere.* Accidens namque licet sit aliqua perfectio vel complementum substantiæ, quia tamen diversi generis est à substantia, ideo cum ea non constituit ens per se.

13. Dicitur demum *per se & intrinsece* propter causas externas & alia, quæ ad essentiam constituendam ^{non} requiruntur.

A 3

Hæc

DISPUTATIO

Hæc enim eo ipso, quod sunt extrinsecæ, non possunt cum re, quam constituunt, facere unum per se. Ex pluribus enim non fit unum per se, nisi realis & physica unio interveniat.

14. Hinc patet entia simplicia, quales sunt intelligentia, item substantias compositas ex materia & forma, ex essentia & existentia, ex genere & differentia, ex partibus integrantibus sive homogeneæ sive heterogeneæ ea sint, esse entia per se sunt et accidentia entia per se, etiam illa, quæ aliquam compositionem habent ut per modum extensionis, ut quantitas vel qualitas aliqua per subjectum extensa, vel per modum intensiōis, quomodo calor, licet sit compositus ex multis gradibus est unus per se, quia illi gradus sunt entia incompleta & omnes faciunt ad complementum caloris in genere qualitatis.

15. Nota tamen, ut accidentia, quæ composita sunt per modum extensionis, sint entia per se, requiri, ut illa, ex quibus composita sunt, sint eiusdem naturæ. Quod propterea dicitur, quoniam si in uno pariete sit albedo & nigredo conti-
nuo

QUARTA.

uno processu extensa, non est unum per se, quia illud cōtinuum complectitur duo entia completa diversarum naturarum.

16. Ex his quodammodo manifestum est, quid sit ens per accidens, nempe ens per accidens est, quod constat ex aliquo quod neque ad essentiam nec ad integritatem nec ad completum rei in suo genere per se & intrinsece requiritur.

17. Quamvis autem & in entibus per accidens magna reperiatur varietas, accedantque aliqua propius ad entia per se, aliqua verò ab iis sunt remotiora, omnia tamen ad subsequenta genera referri posse videntur. Nimirum quoddam ens per accidens constat ex iis, quæ sunt, revera inter se divisa, quoddam verò ex iis, quæ non sunt realiter inter se divisa, sed unita. Illud iterum occurrit cum quadam diversitate: vel enim constat ex pluribus sine ordine, ut acervus tritici lapidum & hoc est maximè unum per accidens vel cum ordine, ut exercitus. Hoc constat ex pluribus vel artificialiter solum unitis, ut domus, mensa: vel cum unionem naturali, quo pertinet quod Arist. cit. cap. 6. lib. 5. Met. duo recentet genera-

confer 7. Met. t. 50.

DISPUTATIO

nus per accidens. Unum quod constat ex subjecto & accidente, ut homo justus, alterum quod ex duobus accidentibus, ut Musicus justus.

18. Et hæc de uno per se & per accidens. Ex *Arist. 10. Met. c. 5.* possumus aliam quandam divisionem unius colligere. Unum enim, cuius naturam in in divisione consistere ex *præc. disp.* certum est, vel est indivisibile h. e. nec actu divisum est, nec dividi potest, vel è indivisum tantum, h. e. actu quidem divisum non est, dividi tamen potest. Illud simplex dicitur, hoc compositum, sicut habet *Thomas p. 1. q. 6. a. 3. & q. 11. a. 1.*

19. Simplicitas à scholasticis communiter dicitur esse *negatio compositionis* à Thoma, ut modo audivimus, explicatur per *negationem divisibilitatis*. Certè divisibilitas non est idem quod compositio. Ergo nec idem est simplicitas, ut sumitur pro negatione divisibilitatis & ut sumitur pro negatione compositionis. Consequentia patet, quia quæ sunt formaliter diversa, eorum opposita etiam sunt formaliter diversa, quemadmodum cæcitas & surditas, quarum illa visus, hæc auditus
nega

QUARTA.

negatio est, non sunt formaliter idē, quia
visus & auditus nō sunt formaliter idem.
Antecedēs probatur, quia compositio est
de essentia rerum, quæ compositæ dicun-
tur, sicut de essentia hominis est esse com-
positum ex corpore & anima. At divisi-
bilitas non est de essentia rerum, quia ut
aliquid sit de essentia alicujus debet esse
primus conceptus & non sequi alium
conceptum priorem. At divisibilitas non
est primus conceptus, sed sequitur pri-
mum conceptum. Propterea enim ali-
quid divisibile est, quia compositum est
& partes habet, quemadmodum in quan-
titate prius est esse extensum, quod est,
habere partem extra partem, quàm esse
divisibile in tales partes. Ut enim aliquid
sit divisibile in partes quantitativas, prius
requiritur, ut habeas tales partes.

20. Sunt qui de simplicitate ex pro-
fesso tractantes tantum faciunt mentio-
nem divisibilitatis, cujus negationem di-
cunt esse simplicitatem formaliter, qui si
sentirent eam etiam accipi ut opponitur
compositioni formaliter sumtæ & ut di-
cit quid distinctum à divisibilitate, du-
bio procul sicco peccarent non hoc præteri-

A S

rent.

DISPUTATIO

rent. At ego simplicitatem sumi prout opponitur compositioni formaliter sumtæ ita probo: Cuilibet differentia entis essentiali opponitur essentialis aliqua entis differentia. Compositum vel compositio formaliter sumta est differentia entis essentialis. E. compositioni formaliter sumtæ opponitur essentialis aliqua differentia entis. E. ipsi opponitur simplicitas, quia illa differentia entis compositioni formaliter oppositæ non aliter appellatur quam simplicitas. Major est manifesta, quia si non cuilibet differentia essentiali opponeretur differentia essentialis, etiam non opponeretur cuilibet speciei species, cum species per differentias essentielles suas sunt oppositæ species. Minorem quod attinet, Compositionem esse entis differentiam, inde patet, quia aliquod ens est compositum nec tamen omne ens est compositum; quod autem illa sit differentia essentialis, patet *ex th. preced.* Nota autem vocem differentia hinc non tam strictè sumi, sicut in prædicabilium doctrina accipitur. (Ens enim non habet tales differentias) sed latius.

21. Hinc

QUARTA.

21. Hinc ulterius sequitur, simpliciter, ut opponitur compositioni formaliter sumtæ, licet explicetur per negationem, revera & formaliter esse aliquid positivum. Quia qualibet differentia entis essentialis quid positivum est, cum qualibet species entis sit aliquid positivum.

22. Porro simpliciter sumi etiam aliter, nempe non ut est essentialis differentia entis & opponitur compositioni formaliter sumtæ, sed ut opponitur divisibilitati, probo ex hypothesis, qua dicunt autores, simpliciter esse formaliter unitam perfectam & competere entis ratione unitatis. Quicquid accipitur, formaliter pro perfecta unitate, id accipitur ut est differentia essentialis entis, sed ut opponitur divisibilitati. At simplicitas formaliter accipitur pro perfecta unitate, ut præsupponitur. E. accipitur, non ut est essentialis differentia entis, sed ut opponitur divisibilitati. Major quoad primam partem probatur, quia unitas non est quid essentialis entis, sed est eius quædam affectio. E. nec perfecta unitas est quid essentialis entis. Quoad posteriorem partem, quia ut unitas importat negationem

DISPUTATIO

gationem divisionis, sic perfecta unitas importat negationem divisibilitatis, neque aliud quid intelligunt autores per perfectam unitatem, quam negationem divisionis tum actualis tum potentialis nec aliud intelligere possunt.

23. Inquis: Quando cunque autores loquuntur de simplici semper ita loquuntur de eo, ut composito opponitur. Ergo. simplex non accipitur interdum, ut opponitur composito, interdum ut opponitur indivisibili.

24. Resp. Negando consequentiam, quia hoc ipsum, simplex opponi divisibili est ipsum opponi composito (licet non ut compositum est, sed ut est divisibile) quia nihil divisibile est nisi compositum, quemadmodum hoc ipso, quod frigus opponitur calori opponitur etiam igni, non quidem quatenus ignis est, sed ratione accidentis, quatenus scilicet calidus est. Quod si quis urgere velit, simplicitatem opponi tantum compositioni formaliter sumta & non est divisibilitati, necesse est simul neget, simplicitatem formaliter esse perfectam unitatem & competere enti ratione unitatis, ut patet ex *ib.* 22.

25. Cer-

QUARTA.

25. Certant hic *Scotus & Cajetanus*. Scotus enim *1. 1b. 8. q. 1. ada.* quem sequitur *Soncinas l. 4. Met. q. 14.* docet simplicitatem esse perfectionem simpliciter. Cajetanus verò *de ente & ess. c. 3.* tradit, nullam dicere perfectionem, quia scilicet simplicitas sit negatio, negatio autem non dicat perfectionem.

26. Quid de hac controversia judicandum sit, quoad antenus jam patet ex supra dictis, ubi assertum fuit, simplicitatem, ut est differentia entis, esse quid positivum. Hac igitur acceptione jam cecidit argumentum Cajetani & simplicitatem sic esse perfectionem manifestum est, quia ponit aliquam entitatem in rerum natura & excludit compositionem, quæ importat imperfectionem dependentiæ. Omne siquidem compositum dependet ab iis, ex quibus compositum est. Dependencia autem magna est imperfectio.

27. Certum tamen est simplicitatem etiam negativè sumi, ut scilicet est negatio compositionis vel divisibilitatis. Hoc modo si sumatur, quaritur, an importet perfectionem? Resp. Aliud est, aliquid esse formaliter perfectionem, aliud est,

ali-

DISPUTATIO

aliquid arguere perfectionem. h. e. ex alio
quo colligi & per ratiocinationem inferri
perfectionem; vel (quod eodem reci-
dit) aliud est importare perfectionem
formaliter, aliud importare perfectio-
nem arguitivè, ut quidam loquuntur,
sicut effectus non est ipsa causa, arguit
tamen causam.

28. Jam dico I, simplicitas, ut sumi-
tur negativè, non est formaliter perfe-
ctio. Quia omnis perfectio est aliquid
positivum. II. Simplicitas etiam negati-
vè accepta arguit perfectionem. Inquis:
Si simplicitas argueret perfectionem, se-
queretur, quò quid simplicius est, eò esse
perfectius, quod tamen falsum esse vel
inde perspicitur, quod materia est sim-
plicior composito & tamen tantum ab-
est, ut materia sit perfectior composito,
ut compositum sit longè perfectiusquàm
materia.

29. Resp. Quò quid est simplicius, eò
est perfectius cæteris paribus. Ponamus
enim duas substantias, quarum utraque
sit æquè perfecta & habeat eadem omni-
nò prædicata, præterquam quod una
simplex sit, altera composita, dico simpli-
cem

QUARTA.

cem esse perfectiorem cōpositā, Probo:
Quicquid habet easdem perfectiones cū
altero, nec tamē habet imperfectionem,
quam alterum habet, illud est perfectius.
At dicta substantia simplex habet easdem
perfectiones cum dicta substantia com-
posita, ut præsupponitur, neque tamen
habet imperfectionem, quam substantia
composita habet, quia compositio est im-
perfectio, quam substantia simplex hoc
ipso, quod simplex est, excludit. E. dicta
substantia simplex est perfectior compo-
sita. Eadem etiam est ratio in aliis, quan-
do cætera sunt paria.

30. Dixi autem, *cæteris paribus*, quia
non semper id, quod est simplicius, est
perfectius absolutè, ut probat argumen-
tum *th. 28.* à materia & composito de-
sumtum. Et hæc de consequente.

31. Consequentiam ipsam majoris
quod attinet, si intelligatur de eo quod
est perfectius cæteris paribus, eam con-
cedo, nec consequens est absurdum, ut
probatum est. Si verò intelligatur de eo,
quod est perfectius absolutè, nego, quia
ut aliquid arguat perfectionem, satis est
si id, quod magis est tale, sit perfectius cæ-
teris

DISPUTATIO

teris paribus. Unde inverto argumen-
tum & pro mea sententia usurpo: Quod
est simplicius, cæteris paribus est perfe-
ctius. E. simplicitas importat vel forma-
liter vel saltem arguitivè, ut loquuntur,
perfectionem.

32. Vox hæc, *compositio*, ambigua
est. Potest enim 1. accipi pro actione,
qua causa efficiens aliquid componit,
estque idem quod unio, hoc est, actus u-
niendi. Hoc modo accepta compositio
non est aliquid essentielle composito,
quia existente jam composito & causa
effectiva non amplius operante transit
& non amplius est. 2. accipitur pro ali-
quo intransito & permanente cum com-
posito, estque idem quod unio & sic com-
positio est ratio formalis compositi, sicut
albedo est forma albi. Hac posteriori
acceptatione in præsentiarum nobis de
compositione sermo est.

33. Est autem compositio asserente
*Mendoza disp. Phys. 6. s. 1. §. 1. & disp. Log. 6.
s. 4. §. 14. simul positio vel conjunctio plurium
unum tertium constituentium.* Ubi, quoniam
compositionem hæc non accipimus pro
actione, sed pro ratione formali ipsius
com-

QUARTA.

compositi, etiam vocabula, positio & conjunctio, non sunt sumenda pro actione, qua aliqua simul ponuntur & conjunguntur, sed pro aliquo permanente unâ cum simul positris & conjunctis, quod sit ratio formalis eorum.

34. Compositio 1. vel est realis vel rationis. Realis est, cuius extrema sunt realia, realiter a se invicem distincta. Ut igitur sit compositio realis oportet 1. extrema realiter differre. Nam si sint ratione tantum distincta extrema. h. e. illa ex quibus fit compositio, erit tantum compositio rationis, ut statim videbimus 2. oportet ut extrema sint realia. Quapropter etsi ens & non ens realiter differant, ex illis tamen non fit compositio realis, quia non ens non est quid reale.

35. Ubi nota, quod compositio realis possit esse duplex. Una est talis, ut compositum actu existat in rerum natura. & ad hoc requiritur, ut extrema etiam sine actu in rerum natura. Ita, ut homo sit actu in rerum natura, oportet actu esse in rerum natura tum corpus tum animam, ex quibus est compositus. Altera compositio realis est talis ut compositum non sit actu in rerum natura, sed praescindat

B

ab

DISPUTATIO

ab existentia actuali & ad hoc partes actu
existentes non requiruntur, sed sufficit, si
possint esse. Ita enim in hyeme, dum rosa
non existit, concipitur rosa tanquam
corpus quoddam animatum ex materia
scilicet & anima compositum, & tamen
hyeme nec anima nec materia rosa iunt
actu in rerum natura.

36. Compositio realis est multiplex;
vel enim est essentialis, cujus extrema
sunt materia & forma; vel est integralis,
cujus extrema sunt partes extensionem
habentes, qualis compositio primò &
per se competit quantitati, deinde etiam
substantiæ corporeæ ratione quantita-
tis; vel est compositio secundum inten-
sionem ex gradibus, quæ est propria qua-
litatum, sicut calor in igne ex octo gradi-
bus est compositus; vel est ex essentia &
subsistentia, quam compositionem etiam
spirituales naturæ participant.

37. Compositio rationis est, cuius
extrema ratione sola distinguuntur, vel ut
Mendoza disput. Log. 4. s. 3. § 13. dicit, est co-
gnitio componens atq; conjungens duo objecta
ratione distincta, ex quibus tertium resultat.
Ad compositionem rationis non requi-
ritur, extrema esse entia rationis, sicut re-
quiri-

QUARTA.

quiritur ad compositionem realem, extrema esse realia, sed solum requiritur, ut extrema ratione sola distinguantur. Sic quoniam animal & rationale sola ratione distinguuntur, dicitur natura humana ex illis esse composita compositione rationis, etsi tam animal quam rationale sit aliquid reale.

38 Hæc compositio etiam varia est; vel enim essentialis est ex genere sc. & differentia, sicut species est composita (ubi nota, quod duplex sit compositio essentialis: quædam est realis ex materia & forma, de qua paulò ante, quædam est rationis, ex genere & differentia, de qua jam) vel est ex esse & essentia; vel est ex quibuslibet conceptibus ratione tantum distinctis, quæ compositio nec Deo omnino repugnat. Alius enim est conceptus in Deo omnipotentia, alius iustitia, alius æternitatis, ex quibus Deus secundum rationem nostram quasi compositus est.

39 Circa hæc Saxretz disp. Met. 31. f. 13. n. 12 & 13 notat duo: Primum est, in compositione rationis, ut compositum sit actu in rerum natura non requiritur ut utrumque extremorum sit actu in rerum

DISPUTATIO

natura, sed sufficere si unum sit actu vel sit ipsa ratio, qua aliquid est actu, etsi alterum ab esse actuali præscindat, quomodo ex essentia & existentia omnis res creata est composita, cum tamen essentia de se & ut condistincta ab existentia non sit actu in rerum natura.

40. Ut alterum, quod notat Suarez, intelligatur, præsciendum est, aliqua distingui dupliciter; quædam enim ita distinguuntur, ut unum in altero non includatur, nec unum sit pars alterius. Et talia dicuntur condistincta vel adæquatè distincta, quomodo distinguuntur materia & forma, item Petrus & Paulus. Quædam distinguuntur, ut includens ab incluso, quorum scilicet unum est pars alterius vel aliàs in ipso essentialiter continetur, quomodo distinguuntur homo & anima hominis, item homo & rationale.

41. Alterum igitur, quod Suarez notat, est, ad omnem compositionem realem requiri, ut extrema sint cōdistincta, hoc tamen non requiri ad omnem compositionem rationis nihilque ob stare, etsi unum includat alterum, sed sufficere ut unum ab altero possit præscindi, quamvis
alte-

QUARTA.

alterum non possit. Adducit exemplum substantiæ, quam aliquo modo secundum rationem compositam esse dicit quia resolvi possit in duos conceptus, entis scilicet & modi per se subsistendi, etsi in modo per se subsistendi ens includatur. Modus enim per se subsistendi non est nihil. E. est ens.

42. De compositione reali res certa est & extra controversiam, debere sc. extrema esse condistincta, quemadmodum ex corpore & anima, quæ condistincta sunt, homo dicitur compositus. At ex carne & corpore, quod carnem in se includit, & anima non dicitur compositus. Verum quod de extremis compositionis rationis Suarez profert, in hoc Mendoza cit. §. 14. disp. Log. 6. ipsi contradicit, statuens etiam compositionem rationis esse non posse, nisi ex condistinctis. Ratio ejus est, quia (sunt verba Mendoza) *compositio est duarum partium simul positio: at non sunt due partes, quarum altera per alteram permeat, quia non sunt duo, quando unum non est extra aliud, sicut substantia non dicitur componi ex ente & perfectate.*

43. Alia distinctio reperitur apud autores, qua alia compositio *Physica* dicitur.

DISPUTATIO

tur, alia *Metaphysica*. Aliqui non videntur distinguere compositionem *Physicam* à reali, & *Metaphysicam* à compositione rationis, ut sic per hanc distinctionem idem significetur quod per priorem. Alii autem qui hanc distinctionem pro diversa à priori accipiunt, videntur per compositionem *Physicam* intelligere talem compositionem, quæ saltem reperitur in rebus *Physicis* & materiae immerfis, qualis est ex materia & forma, ex partibus integrantibus, ex gradibus qualitatis. Compositionem verò *Metaphysicam* videntur accipere pro ea, quæ se extendit ad res à materia abstractas, qualis est ex genere & differentia, ex esse & essentia, ex essentia & subsistentia.

44. Durandus 3. d. 5. q. 4. duplicem facit compositionem, unam ex his, alteram hujus ad hoc, sive, ut loquitur Cajetanus, cum his. Et declarat ita: *Prima compositio, inquit, est sicut compositio hominis ex anima & corpore, ex quibus tanquam ex partibus consistit intrinsece. Secunda compositio est accidentis ad subiectum; vel subiecti cum accidente. Non enim subiectum compositum est ex subiecto & accidente, nec accidens ex accidente & subiecto: sed unum est alteri compositum, id est*

QUARTA.

est, cum alio positum, quamvis aggregatum ex utroque possit dici compositum ex eis. Eadem distinctio est Cajetani de ente & ess 6.9.

45. Sed distinctio hæc ab autoribus istis est conficta. Non enim est duplex compositio, quarum una sit ex his, altera hujus ad hoc vel cum hoc, sed revera una est compositio, per quam aliquid ex his & aliquid ad hoc vel cum hoc componitur. V. gr. Eadem est compositio, qua homo ex corpore & anima componitur, & qua anima cum corpore componitur. Impossibile siquidem est per aliquam compositionem aliquid ex aliquibus componi, ut per eandem unum cum altero non componatur, sicut & impossibile est per aliquam compositionem unum cum altero componi, ut ex illis simul non componatur aliquod tertium. Pone enim aliquid ex aliquibus componi, v. gr. hominem ex corpore & anima, & remove reliqua omnia, hoc ipso corpus cum anima componitur, & pone unum cum altero componi, corpus sc. cum anima, remotis reliquis omnibus, hoc ipso aliquid ex illis componitur. Non ergo compositio ex his & compositio hujus ad hoc sunt duæ compositiones.

DISPUTATIO

46. Intelliguntur autem per diversa illa verba, *ex his* & *cum his* vel *hujus ad hoc* duæ diversæ habitudines unius compositionis (& non duæ diversæ compositiones.) Dicitur enim compositio ex his in ordine ad terminum, qui ex compositione resultat. Id enim quod ex compositione resultat, non dicitur cum aliquo componi, sed ex aliquibus, sicut homo dicitur componi ex corpore & anima, & non cum corpore & anima. Eadem compositio dicitur cum his vel hujus ad hoc in ordine ad partes componentes. Una enim pars non debet ex altera componi, sed cum altera, sicut anima non componitur ex corpore, sed cum corpore ad constituendum hominem.

47. Hoc ipso autem, quo ipsum abstractum sive formam denominantem, nempe compositionem duplicem, unam ex qua, alteram hujus ad hoc, esse nego, non nego hanc distinctionem ipsi concreto, vel ei quod denominatur à compositione posse accommodari. Quin audacter dico, compositum esse duplex, unum *ex his*, ut homo ex corpore & anima, alterum *ad hoc* vel *cum hoc*, ut corpus cum anima & anima cum corpore.

48. Ubi

QUARTA.

48. Ubi tamen non negligenda occurrit diversitas. Nam id quod dicitur compositum ex his, absolute dicitur compositum, id a. quod est compositum ad hoc vel cum hoc non dicitur compositum absolute, sed solum cum additione. Ita homo absolute dicitur compositum, sed anima non dicitur compositum vel composita absolute, licet dicatur composita cum corpore. Ratio: Quod dicitur compositum absolute opponitur simplici. Compositum cum hoc non opponitur simplici. Potest enim aliquid simplex esse, ut tamen cum aliquo sit compositum, ut anima. Compositum vero ex his simplici opponitur. Impossibile enim est, id quod est compositum ex aliquibus esse simplex. E. compositum cum hoc non dicitur compositum absolute, compositum vero ex his dicitur compositum absolute.

49. Caeterum ad hanc tractationem de composito pertinet doctrina totius & partium. Non n. simplex solum, sed pars etiam composito opponitur, dicitque compositum ad partem respectum. Omne enim compositum est ex partibus compositum, sicut & vicissim omnis pars est

B 5 com.

DISPUTATIO

compositi pars, quamvis compositum ut à partibus respicitur, potius totum nominari, & partes usitatus totius, quam compositi partes dici consueverint.

50. Manifestum hinc est, oppositionem inter totum & partes esse oppositionem relativam. At certe oppositio, quæ inter simplex & compositum intercedit, relativa non est. Non enim simplex dicitur compositi simplex, neque quocunque alio modo ad compositum refertur, sed ejus natura est absoluta.

51. *Aristot. 5. Met. c. 26.* hæc verba habet: *Totum dicitur, cuius nulla pars eorum abest, ex quibus natura totum nominatur, & quod ita continet ea, quæ continentur, ut illa sint unum.*

52. Quæ verba omnia pro definitione totius aliqui accipiunt. At certe priora verba non quadrant ad omne totum. E. non pertinent ad definitionem totius. Antecedens probo, quia homini, v. g. cui brachium abscissum est, deest aliqua pars eorum, ex quibus natura totum dicitur, & tamen homo hujusmodi est totum. Habet enim adhuc alias partes nempe thoracem, ventrem, &c. At quicquid partes habet totum est.

53. Qua.

QUARTA.

53. Quapropter nos verbis illis *ib. st.* adscriptis non voluisse Philosophum definire totum, sed proponere quandam eius distinctionem cum *Fonseca in commen. ino iplo Alvaru* afferimus. Accipitur enim totum dupliciter, vel pro integro & opponitur mutilo, qua ratione, qui manu caret, non est integer homo; vel ut opponitur partibus quomodo etiam ille, qui manu caret, totum aliquod est. Quando Aristot. dicit: *Totum dicitur cuius nulla pars abest eorum, ex quibus natura totum dicitur, sumit totum ut opponitur mutilo, quomodo agit de toto c. seq. 27.* Cum verò dicit: *Et quod ita continet ea, quae continentur, ut illa sint unum,* sumit totum ut opponitur partibus, quo significatu agit de toto illo iplo *cap. 26.*

54. Sumimus autem ultima illa verba pro definitione totius, ut de toto hic agimus, nempe ut partibus opponitur, sitque ita totum id, quod continet ea, quae continentur, ut illa sint unum. Quibus verbis duo requisita proponuntur ad hoc, ut aliquid sit totum. Primò enim requiritur quaedam pluralitas. Ex una enim parte impossibile est fieri totum, sed omninò requiruntur duæ. *Domin. de Fland. 5. Met. q. 25. art. 2.* utitur hoc argumento. Si aliquod

DISPUTATIO

quod totum fieret ex una solùm parte, sequeretur aliquod totum non esse majus parte, quod est primum principium. Secundò debet totum illud plura continere, nempe partes, & ita quidem, ut sint unum. Et si enim partes totius inter se sint multæ, simul sumtæ tamen sunt unum totum, sicut corpus & anima rationalis licet sint duæ partes, sunt tamen unus homo. Fiunt autem partes unum per unionem sive compositionem.

55. Durandus *l. 1. c. 19. q. 4.* quatuor recenset genera totius, nempe. *essentiale, integrale, universale & numerale.* Loquitur autem Durandus de generibus totius, quod includit realiter multa actu & potentia, h. e. cujus partes sunt, realiter distinctæ & totum constituunt secundum rem.

56. Armandus de Bello Visu *tr. 2. term. c. 25.* sex genera vel modos totius recensens, & prioribus quatuor addēs *perfectionale*, ut ita loqui liceat & totum *potestativum.* Dividit autem Armandus totum in latiori significato, ut etiam illud totum dicitur, cujus partes sola ratione distinguuntur.

57. Totum *essentiale est, cujus partium*

QUARTA.

tium una est ut actus, altera ut potentia constituentium unam essentiam.

58. Distinguitur hoc totum in *Physicum* & *Metaphysicum* sive *Logicum*. *Physicum* est, cujus partes sunt realiter distinctæ, nempe materia & forma, quas propterea partes *Physicas* vocari, ait *Philippus Du Trieu*. tr. 2. Dial. p. 2. c. 1. a. 1. quia de illis *Physicus* agat. *Metaphysicum* vel *Logicum* est, cujus partes sola ratione distinguuntur, quale est species respectu generis & differentie.

59. Merito autem genus & differentiam dici partes essentielles inde patet, quod sicut materia ut potentia & forma ut actus essentiam substantiæ compositæ realiter constituunt; ita ex genere, quæ tanquam potentia & vice materiæ esse dicitur, & differentiâ, quæ tanquam actus generis indifferentem & confusam naturam restringit, essentia cujuslibet speciei secundum rationem nostram & non realiter (quia genus & differentia non realiter differunt) constituitur. Vocantur autem partes *Metaphysicæ* vel *Logicæ*, juxta eundem *Du Trieu* eod., quod de illis *Metaphysicus* vel *Logicus* agat.

60. Quan:

DISPUTATIO

60. Quanquam autem in propriis-
sima & famosissima significatione solum
illud totum, quod est ens per se, cuius
partes sunt entia incompleta, nempe
materia & forma ejusdem generis, quale
totum est animal respectu corporis & a-
nimæ, pro toto essentiali haberi solet; ;
videtur tamen secundariò vel per quan-
dam analogiam etiam id totum, quod
constat ex subiecto & forma acciden-
tali & est ens per accidens, huc perti-
nere, quales sunt res artificiales, ut
mensa; item accidentia in concreto, ut
album.

61. Totum integrale est, quod consti-
tuitur à partibus per extensionem. Dividitur
in simile & dissimilare. Quod sumitur
ex Aristotel. 2. de part. animal. cap. 1. Ubi
τα μὲν ἀπλά, inquit, ἔμοιομερῆ, τὰ δὲ
σύνθετα καὶ ἀνομοιομερῆ τῶν μορίων. To-
tum simile est, quod constat ex partibus e-
jusdem rationis sive essentie, ut aqua, lapis,
aurum. Totum dissimilare est, cuius partes
sunt diverse essentie, ut oculus, quatenus
constat ex diversis tunicis, nervis, mu-
sculis, &c.

62. Zaa

QUARTA.

62. Zabai. de nat. sc. const. c. 27. asserit
similare aliquid dici, quando totius &
partis cuiuslibet est idem nomen & ea-
dem definitio.

63. Verum hæc assertio non caret
difficultate. Nam mare est totum si-
milare, & tamen hoc nomen, mare,
quo totum nominamus, non conve-
nit cuilibet parti. Neque enim quælibet
pars maris est mare, nec etiam defi-
nitio maris cuilibet parti ejus conve-
nit.

64. Ratio est, quia sepe toti similari
tribuitur nomen importans partium ag-
gregationem, quale est nomen, mare, sub
certam figuram, quale est fistula, quæ ag-
gregatio vel figura, quia non competit
omnibus partibus, sicut aggregatio a-
quarum, quæ mare dicitur, non convenit
cuilibet parti maris, & figura, quam fistu-
la requirit, non competit omnibus fistu-
læ partibus hinc est, quod nomen totius,
etsi simile sit, & definitio tali nomine
significata, non conveniat omnibus par-
tibus.

65. Cæterum sub toto integrali non
tantum id continetur, quod per
le

DISPUTATIO

se unum est, cuius scilicet partes unitæ sunt per continuationem, ut lignum, sed illud etiam quod est per accidens unum, ut domus, civitas, exercitus &c. quatenus scilicet in hisce omnibus invenitur quædam ratio extensionis.

66. Totum universale nihil est aliud, quam id, quod aliàs dicitur universale, ut genus respectu specierum. De quo ex professo *disp. 6.* Solum id hoc loco explicabimus, quæ fieri possit, ut cum genus sit pars speciei, ut *ib. 59.* ostensum est, possit simul esse totum respectu ejusdem.

67. Dico: Genus est pars speciei, quatenus species, cum distinctè & clare cognoscitur, componitur ex genere & differentia simulque necesse est actu & clarè cognosci genus & differentiam. Est verò genus totum respectu specierum in ordine ad cognitionem confusam, quatenus cum genus cognosco simul cognosco omnes species confusè, non tamen distinctè, & sic genus quasi componitur ex speciebus confusè cognitis. Vide *Mendozum* hæc ex professo explanantem *disp. Log. 4 s. 3. & 4.*

68. Totum numerale, ut dicitur *Durandus*

QUARTA.

randus & Armandus (qui hic omnia ferè ex Durando descripsit) est numerus comprehendens pluralitatem aliquorum, sicut duodenarius dicit numerum Apostolorum.

69. Hi autores dicunt, hoc non esse totum, nisi nimis abusive. Ratio ipsorum est, quia totum cõprehendit plura, ut aliquo modo sunt unũ vel saltem unita, sed numerus dicit solum plura, non ut unum, sed verificatur de illis, quæ in nullo sunt unum nec unita; nec compositione, ut in toto essentiali, nec continuatione sive collectione, ut in toto integrali, nec in conceptione intellectus, ut in toto universalis.

70. Verum minor non videtur concedenda. Septenarius planetarum & septenarius Electorum dicuntur duo septenarii. E. uterque Septenarius est unus. E. in numero etiã continentur plura, ut aliquo modo sunt unũ. Hæc posterior cõsequencia est manifesta. Prior probatur, quia omnis numerus constat ex unitatibus. Est autem quilibet numerus unus per intellectum vel alio etiam modo, sicut duodecim Apostoli sunt unum in peculia.

C

culia.

DISPUTATIO

culiari illa vocatione divina ad munus-
predicationis.

71. Etsi autem ex hisce satis constat,
totum numerale non esse omninò exclu-
dendum ex numero & censu totorum,
quæstio tamen oritur, an constituat pe-
culiare genus totius an verò sub aliis com-
prehendatur. Quidam dicunt contineri
sub toto integrali. Armandus hoc negat,
& asserit cōstituere peculiare genus. Fa-
cit a. ille inter totum integrale & numera-
le hoc discrimen, quod quælibet pars to-
tius numeralis pertineat ad essentiã ejus,
totius verò integralis non quælibet
pars pertineat ad essentiã totius inte-
gralis.

72. Quidam duas affert ad hoc respon-
siones. Primò dicit, falsum esse non
quamlibet partem totius integralis per-
tinere ad essentiã ejus. Ratio ejus est:
Materia est pars essentiã. E, & quælibet
partium materiã, quæ sunt partes totius
integralis, est pars essentiã.

73. Nos contra argumentamur ita:
Quod potest abesse à toto & ei adesse,
salva manente ejus essentiã, id non est ipsi
essentiale. At aliqua pars integralis potest
adesse

QUARTA.

adesse toti & ab eo abesse, salvâ manente
ejus essentiâ. E. aliqua pars integralis non
est toti essentialis. Minor patet, quia sive
homo utramque manam habeat, sive
altera sit resecta, salva manet essentia
ejus.

74. Sed respondet ille autor, hoc ar-
gumento tantum probari aliquâ partem
integrale non esse principaliter essen-
tiale, non autem quod nullo modo sit
essentialis. Distinguit igitur inter essen-
tiale principaliter & inter essenziale mi-
nus principaliter, existimatque majorem
propositionem esse solum veram de eo,
quod est essenziale principaliter.

75. Sed majorem nostram universalem
esse, inde manifestum est, quod essenziale
proprie loquendo opponitur accidentali.
Hinc ergo quicquid accidentale est ali-
cui, non est ipsi essenziale. At quicquid
potest adesse alicui & ab eo abesse citra
ejus corruptionem, vel quod idem est, sal-
vâ manente ejus essentiâ, est accidens vel
accidentale ipsi. E. quicquid potest adesse
alicui & ab eo abesse, salvâ manente ejus
essentiâ, id non est ipsi essenziale. Hinc

DISPUTATIO

etiam constat distinctionem illam inter
essentiale principaliter & minus princi-
paliter esse confictam & philosopho in-
dignam. Nam quod est minus principa-
liter essentialiter alicui potest adesse ipsi &
ab eo abesse. E. hoc ipso est ei accidentale.
E. non est revera essentialiter, ut patet ex
præced. discursu.

76. Deinde si vel maximè illa
distinctio admittenda esset, nihil tamen
faceret ad præsens, quia Armandus dice-
ret, se loqui de eo quod est essentialiter
principaliter, nempe quamlibet partem
totius numeralis pertinere ad essentialitatem
ejus principaliter; at non quamlibet par-
tem totius integralis pertinere principa-
liter ad essentialitatem ejus.

77. Ad rationem *th. 72.* propo-
sitam, respondeo negando consequen-
tiam, siquidem non omne id, quod præ-
dicatur de toto, prædicatur etiã de quali-
bet ejus parte, imò potest aliquid de toto
affirmari, quod de nulla ejus affirmatur
parte, quemadmodum hominem verè
dico animal, nec tamen ulla pars homi-
nis est, quæ animal sit. sicut etiam de
conjunctione dico, quod sit vera vel falsa
& ra-

QUARTA.

& tamen neque subjectum neque pradi-
catum verum vel falsum est. Hinc er-
go et si de materia affirmatur, quod sit
pars essentia, non sequitur de qualibet
ejus parte affirmandum quoque hoc esse.

78. Altera huius auctoris responsio
ad argumentum Armandi est, nullam
esse consequentiam, quia in particulari-
bus exemplis alicuius generis facile
possit evenire aliqua varietas, quemad-
modum sub toto essentiali continetur &
totum physicum & metaphysicum & ta-
men multiplex inter ea est differentia.
Cur igitur non debeat aut possit esse va-
rietas in exemplis totius integralis?
Quod hic imprimis locum habere dicit,
quia quod de toto numerali nulla pars
auferi possit, non sumatur ex ratione to-
tius simpliciter, sed ex ratione numeri. ^{+ integralis}
Hanc responsionem admittimus.

79. Totum potestativum vel poten-
tiale quod attinet, latet in hoc termino
equivocatio, quia interdum sumitur pro
tali toto, quod partes suas non actu in se
continet, sed potentia solum. Qua ac-
ceptione totum potestativum idem est,
quod totum universale. Interdum acci-
pitur

+ habet multas potentes **DISPUTATIO**

pitur pro illo, quod constat ex multis potentiis tanquam partibus, quas actu in se continet, sicut passim in lib. de anim. Arist. potentias animæ partes vocat. Hoc modo jam de eo agimus.

80. Quidam negat hoc esse revera totum propter sequentia argumenta. I. Quæ se habent ut subjectum & adjunctum, non se habent ut totum & pars. Totum potestativum, quod dicitur, & ejus partes sese habent ut subjectum & adjunctum. E. non habent se ut totum & pars. Minor probatur, quia anima v. g. dicitur totum potestativum respectu potentialium suarum. Sed anima est subjectum & potentia sunt ejus adjuncta. Et confirmatur, quod nulla major ratio est hic usurpandi rationem totius & partium, quam in aliis subjectis & adjunctis. Cur igitur anima etiam totum non est respectu suorum habituum aut elementum vel mixtum aliquod respectu suarum qualitarum?

81. II. Quod est desumptum à diversitate, materiae, id non est peculiare genus totius. Sed totum potestativum est desumptum à diversitate materiae. E.

Major

QUARTA.

Major probatur, quia si genera totius essent multiplicanda à diversitate materiae & non potius ex vario modo respiciendi partes, in infinitum multiplicanda essent totius genera, fieretque adeò aliud totum humanum, aliud metallicum, aliud meteorologicum, aliud habituale, aliud, quod jam ponitur, potentiale.

82. Ex solutione argumentorum horum simul patebit totum potestativum esse revera totum. Quantum ad primum respondeo ad minorem & dico, id quod est subiectum potentiarum, animam v. g. dupliciter considerari, vel secundum se & ut ipsi potentiae ejus accidunt & sic concedo, non esse totum potestativum, vel ut sumitur simul cum aggregatione potentiarum & sic nego minorem. Sic enim aggregatum ex potentia non est subiectum potentiarum & potentiae non sunt accidentia aggregati ex potentiis, sicut anima sumta simul cum aggregatione potentiarum non est subiectum potentiarum, nec potentiae sunt accidentia animae sic acceptae. Haec responsio jam olim est data à Fonseca, Nam l. 4. inst. c. 3. ad similem objectionem respondens di,

C 4 cit:

DISPUTATIO

cit, *Partes potestatis etsi accidunt rei, earum potestas accidit, sumta re quoad essentiam suam, non tamen illi accidere, si res sumatur quoad totam potestatem.*

83. Atque hinc sumitur argumentum pro sententia affirmativâ: *Omne aggregatum est totum respectu eorum, ex quibus est aggregatum. Sed totum potestativum est aggregatum ex potentiis sc. E. totum potestativum est totum respectu eorum, ex quibus est aggregatum sc. potentiarum.*

84. Ad confirmationem dico, non esse absurdum, dicere, animam sumtam cum aggregatione omnium habituum qui in ea sunt, appellari totum respectu singulorum habituum, & elementum vel mixtum sumtum cum aggregatione suarum qualitatum esse totum respectu earum. Imò non puto esse absurdum, talia etiam dici tota potestativa, habitusque & qualitates elementorum dici partes totius potestativi, quatenus potentia ita latè accipitur, ut & habitus & alias qualitates, quæ non sunt in secunda specie qualitatis, comprehendit, quomodo vocem potentia Philof. 9. Met. accipit.

85. Ad

QUARTA.

85. Ad II. respondeo, conclusionem nobis non esse oppositam. Debat probari, totum potestativum non esse totum formaliter, non hoc, quod non sit peculiare genus totius. Hoc enim ipsi libenter fatemur. Quanquam autem peculiaris genera totius non sunt constituenta à materiae diversitate, nihil tamen absurdi est, aliquod totum, quod sub aliis totius generibus continetur, à materia suam habere denominationem. Nam & totum numerale habet suam denominationem à materia, ut hic ipse autor, contra quem jam disputamus, faterur, & tamen ille totum numerale esse revera totum, simul ultrò concedit.

86. Alia præterea hæc ratio est materiae generali quadam ratione considerata, alia materiae in particulari. At à communi ratione materiae aliquod totum denominari, non est inusitatum, sicut totum numerale dicitur à numero, qui est materia, h. e. subjectum huius denominationis: verum ab ipsis rebus in particulari, quibus numerus tribuitur, non sumitur peculiaris denominatio totius, quemadmodum et si numerus & totum numerale.

DISPUTATIO

merale in Apostolis, in Evangelistis in planetis reperitur, non tamen inde dicitur aliquod totum Apostolicum, aliud Evangelisticum, aliud planeticum. Eadem ratione etsi à potentiis aliquod totum denominetur, non tamen pro diversitate earum rerum, quæ potentias habent, dicendum est aliud totum humanum, aliud metallicum, &c.

87. *Fonseca l.c.* non immeritò revocat totum potestativum ad integrale. Causa huius revocationis est, quia *ut res extensa constat suis partibus integrantes quoad totam extensionem: sic res, quæ multas habet vires, constat suis viribus potentibus quoad potestatem totam, quæ extensio rei merito censeri potest.* Sunt verba *Fonseca*.

88. Sed hic iterum ille autor, qui ante se se opponit atq; ista sententia (*Fons.*) inquit, non placet, quia fundamentum huius reductionis ponit in sola similitudine. Similitudo autem non dicit essentialem, sed accidentalem identitatem. Convenientia igitur in sola similitudine insufficientis est ad duo plura conjungenda sub eodem genere. Quodq; totum potestativum incommode referatur ad totum integrale inde præsertim patet, quia horum differentia est
penes

QUARTA.

penes ea, quae potissima sunt in toto integrali. Nam de ratione totius integralis est, ut partes integrent illius essentiam. Sunt enim illae partes materiales. Materia autem utiq; ad essentiam pertinet. At potestates sive potentiae non pertinent ad essentiam totius illius, quod potestativum dicitur.

89. Verbis hisce duo proponit argumenta contra Fonsecaam. Ad I. respondeo primò: Similitudinem non solum accidentali identitati, sed & essentiali attribuunt Philosophi, quando asserunt fundamentum universalitatis, cur sc. ab aliquibus possit abstrahi aliquod universale v. g. genus, & cur aliqua conveniant in aliquo universalis, esse ipsarum rerum similitudinem. Ubi non intelligunt identitatem in accidentibus, sed in praedicatis essentialibus. Secundò argumentum non est contra Fonsecaam, quia ille non statuit totum potestativum cum aliis totis contineri sub toto integrali tanquam sub genere, sed dicit, illud revocari ad totum integrale. Ut autem aliquid dicatur revocari ad aliquid, non requiritur ut sub eo contineatur tanquam sub genere, sicut multa revocantur sive reducuntur ad aliquod

DISPUTATIO

quod prædicamentum, quæ tamen sub summo eius genere non continentur.

90. Quid, quod autor totum numerale sub integrali comprehendit per hoc argumentum: Totum integrale dicitur per ordinem ad partes materiales. At unitates in numero sunt velut materia eius. E. numerus ex iis conflatus est totum integrale. Sub illa maiore ego similiter subsumo: Potentiæ in toto potestativo sunt veluti materia eius, ut patet ex *th. 82. E.* totum potestativum est totum integrale.

91. Ad II. habetur responsio in *th. 77.* ubi negavimus, quamlibet partem totius integralis pertinere ad essentiam eius.

92. Totum perfectionale sive totalitas perfectionis, inquit Armandus, attenditur secundum complementum perfectionis substantie individualis. Non enim habet partes realiter diversas substantiales, et sic dicimus, totus Deus, totus angelus, totus punctus.

93. Ubi sciendum, totum aliquando accipi, ut idem est quod perfectum, quæ ratione *Aristot. 3. phys. l. 64.* dicit: Totum autem & perfectum, aut idem penitus sunt, aut

matu

QUARTA.

naturam finitimam habent; aliquando ut opponitur partibus, quomodo nos in hac Disp. accipimus.

94. Nunc dico, totum perfectionale, ut sumitur pro perfecto, non pertinere ad presentem tractationem, nec contineri sub toto, ut nunc sumitur; ut verò habet partes ratione distinctas, sub prioribus generibus quodammodo comprehendi.

95. Quidam præter superiores modos totius enumeratos faciunt mentionem totius individualis. Verum etsi individuum rationem totius habet, non tamen videtur constituere peculiare genus, sed sub aliis comprehendi, v. gr. hic homo est individuum & totum, sed essentialiter respectu animæ & corporis, integrale autem respectu corporis, ventris, &c.

96. Antequam verò finem huic tractationi unculæ imponimus, aliqua adhuc notari volumus. Primò notabilis est locus Philosophi *cit. c. 26 cit. l. 5. Met.* ubi duo constituit totius genera. Unum est, quod habet partes, de quibus singulis prædicatur sc. tanquam superius de inferioribus.

Alte-

DISPUTATIO

Alterum est, quod constat ex pluribus, de quibus non prædicatur. Sub hisce duobus generibus universa multitudo totorum comprehenditur. Illud enim est idem quod totum universale. Sub hoc continetur totum essentialiale, tum Physicum, tum Metaphysicum, totum integrale & si quodcunque aliud genus totius ab hisce diversum cogitari potest.

97. Dixi autem, tanquam superius de inferiore, quia etiam totum quoddam quod constat ex pluribus & non sub primo, sed sub secundo genere continetur, potest de suis partibus prædicari, sicut species constat ex genere & differentia tanquam partibus & nihilominus prædicatur & de genere & de differentia, sed non ut superius de inferiori, verum potius ut inferius de superiori.

98. Secundò notandum, quia totum & partes sunt relativè opposita, quot sunt genera totius, tot etiam esse partium, & cuilibet generi totius respondere peculiare genus partium. Sic toti essentiali respondent partes essentialiales, Physico quidem Physicæ, & sunt materia & forma, Metaphysico autem Metaphysicæ, quales sunt

QUARTA.

sunt genus & differentia, toti integrali partes integrales sive quantitative, toti universalis partes subjectivæ.

99. Notandum tertio, unum idemque posse sustinere diversas totius rationes respectu diversarum partium, v. gr. homo est totum essentialis, Physicum quidem respectu corporis & animæ rationalis, Metaphysicum verò respectu animalis & rationalis, totum integrale est respectu capitis, thoracis, ventris, &c. totum universale respectu individuorum humanorum,



COROLLARIA.

I.

An totum & partes simul sumptæ differant secundum rem? N.

II.

An aliquid possit dici de toto, ut tamen de nulla ejus parte dicatur? A.

III.

*An illud: Quod dicitur de toto simile
lari*

DISPUT. QUARTA.

lari dicitur de omnibus ejus parti-
bus, sit universaliter verum? N.

IV.


Quidam non veretur asserere, ali-
quam partem esse posteriorem toto.
Nos negamus.

V.

An pars possit predicari de toto? Res-
pondeo: Potest, quando totum & pars
sola ratione differunt, quomodo ge-
nus, quae est pars speciei ab ea sola
ratione distincta, predicatur de spe-
cie. Quando vero realiter distin-
guuntur, non potest, si totum sit ens
per se, sicut non dico: Anima est ho-
mo; si vero sit ens per accidens, po-
test. Recte enim dico, mensa
est lignum, &c.



DISP. V.



THESIS I.



Istinctionibus *pre-*
ced. disp. propositis sub-
jungenda est alia, qua
unum dicitur *universa-*
le vel *singulare*, quibus
commune est *unū for-*
maliter. Unum singu-

lare appellatur *individuum*, de quo præ-
senti disputatione quatuor dicemus: 1.
Quid sit *individuum*. 2. An omne, quod
existit vel existere aptum est in rerum
natura citra mentis operationem, sit sin-
gulare. 3. Quid addat *individuum* natu-
ræ communi. 4. Quodnam sit princi-
pium *individuationis*.

2. Quod igitur attinet primum, in-
dividuum est, quod est *indivisibile in plura en-*
tia talia, quale est ipsum: sive, cuius tota ratio
non est communicabilis pluribus, ut inferioribus
& sibi subjectis, que in illa ratione sint multa.
Suarez. disp. 5. sect. 1.

3. Quæ definitiones facile intelli-
gentur

DISPUTATIO

gentur, si individuū cum universali com-
paremus. Universale est, *cujus entitas est di-
visibilis in plures entitates tales, qualis est ipsa,
vel, cujus entitas communicatur pluribus, ut
inferioribus, & quæ ea ratione sint multæ.* V. G.
homo est universale, ejus natura sive enti-
tas consistit in corpore & anima rationa-
li, quæ entitas dividitur in plures entita-
tes, qualis & ipsa, hoc est, quæ consistant
in corpore & anima rationali, & illis plu-
ribus entitatibus communicatur, ut infe-
rioribus, & quæ in tali entitate sint mul-
tæ. Reperitur n. tota entitas hominis in
Petro, tota in Paulo, & tota in Johanne,
quæ individua sunt multa in natura ho-
minis, hoc est, sunt multi homines. Cum
verò dico, *Alexander Magnus* est individu-
um, Entitas Alexandri Magni est quidem
divisibilis in materiam & formam, quæ
sunt plures entitates, sed hoc ipso non est
divisibilis in plures entitates tales, qualis
est entitas ipsa individua Alexandri Ma-
gni. Nam nec corpus, nec anima est tota
entitas Alexandri Magni. Sunt quidem
anima & corpus multa, sunt enim duo
entia, non tamen sunt multa in tota enti-
tate Alexandri. Non enim anima &
corpus

QVINTA.

corpus ejus sunt duo Alexandri, licet sint
duæ partes.

4. Hinc etiam quamvis divina natura sit communicabilis tribus personis, non universalis, sed individua est, quia non est communicata pluribus talibus, qualis est ipsa. Nam natura, quæ est communicata tribus personis est Deitas sive Deus, sed personæ, quibus est communicata, non sunt plures in Deitate sive plures Dii, sed sunt plures solum in personalitate.

5. Sed contra dicta insurgunt duæ dubitationes: I. Si de ratione universalis est, ut ejus entitas dividatur in plures entitates tales, qualis est ipsa, sequitur omne universale esse dividendum in alia universalia. Posterius est absurdum. Ergo & prius. Consequentia probatur, quia entitas rei universalis est universalis, & entitas rei singularis est singularis. Si ergo universale aliquod non divideretur in alia universalia, sed solum in singularia, non divideretur ejus entitas in plures entitates tales, qualis est ipsa. Minor probatur, 1. quia daretur progressus in infinitum. 2. Quia sunt multa universalia, quæ

A 2

NON

DISPUTATIO

non in alia universalia, sed solum in individua sunt divisibilia, quales sunt species specialissima.

6. II. Hic lapis est divisibilis in plura entia talia, qualis est ipse. Hic lapis est individuum. Ergo quoddam individuum est divisibile in plura entia talia, quale est ipsum. Major probatur. Quia omnes partes, in quas dividitur aliquod totum simile, sunt ejusdem naturae cum toto, & sic sunt talia entia, quale est ipsum totum, sicut qualibet pars huius lapidis lapis est.

7. Resp. ad I. In universali continentur duo, primum est *materiale*, & est entitas ejus, quam obtinet in rerum natura citra mentis operationem. Alterum est *formale*, nempe id, per quod est universale, quodque obtinet per mentis nostrae operationem. Non pertinet ad universale, ut entitas ejus sit divisibilis in plures entitates tales, qualis est ipsa, quoad formale, universalitatem scilicet. Hoc si esset, utique deberet omne universale dividi in alia universalia. Est ergo solum de ratione universalis, ut ejus entitas sit divisibilis in plures entitates tales, qualis est ipsa quoad materiale, hoc est,

QVINTA.

est, quantum ad id, quod habet de se citra
mentis operationem. Et ita, quod dicitur
in probatione Majoris, entitatem rei
universalis esse universalem, negamus, si
intelligatur quoad materiale, & id quod
obtinet in rerum natura. Quod enim est
universalis, non habet, ut est in rerum
natura, sed quatenus ab intellectu sic
concipitur. V. G. Entitas hominis, quam
obtinet in rerum natura, & per quã est ho-
mo, est *animal rationale*. Entitas Petri, en-
titas Pauli & reliquorum individuorum
est *animal rationale*. Et sic quando homo
tanquam universale dividitur in ista in-
dividua, entitas ejus dividitur in plures
entitates tales, qualis est ipsa quantum ad
prædicata realia & intrinseca. At entitas
hominis, quantum ad id, quod habet ab
intellectu, & per quod non homo, sed u-
niversale dicitur, est, *pluribus inesse, & de iis
prædicari posse*. Entitati Petri, Pauli & reli-
quorum individuorum, quatenus indivi-
dua sunt, non competit pluribus inesse &
de illis prædicari, & ita entitas hominis
non dividitur in plures entitates tales,
qualis est ipsa, quoad id, per quod est uni-
versale.

A 3 . 8. Ad

DISPUTATIO

8. Ad II. Respondeo ad Majorem: Lapis & quodlibet individuum simile est divisibile in plura entia talia, quale est ipsum, sed non adæquatè. Nulla enim pars totius actualis, quale est integrale, adæquat ipsum totum. At universalia debent dividi posse in plura entia talia, quale est ipsum adæquatè.

9. Ex dictis patet individuum adde-
re enti indivisibilitatem formaliter, non
indivisibilitatem quovis modo, (Nam
multa individua possunt dividi in partes
essentiales, vel integrales) sed indivisi-
bilitatem in plures entitates totas & tales,
qualem obtinet individuum.

10. Quantum ad secundum, respon-
demus duabus conclusionibus. 1. *Impossi-
bile est etiam per potentiam Dei absolutam uni-
versale existere in rerum natura citra mentis
operationem.* Noster Syllogismus erit ta-
lis: Si universale citra mentis operatio-
nem potest existere in rerum natura, po-
terit ex natura rei esse unum secundum
se totum, & non unum secundum se to-
tum. Consequens est absurdum. E. & an-
tecedens. Major probatur: Omne ens
reale secundum se totum est unum ex na-
tura

QVINTA.

tura rei. Universale, si potest existere in rerum natura citra mentis operationem, est ens reale. E. universale, si potest existere in rerum natura citra mentis operationem, secundum se totum est unum ex natura rei. Major hujus prosyllogismi iterum probatur, quia si ens reale secundum se totum non esset unum ex natura rei, secundum se totum non esset ens reale. Est enim unitas ex natura rei affectio entis realis. Minor patet: quia solum ens reale potest existere in rerum natura citra mentis operationem. Quod etiam universale possit esse non unum secundum se totum ex natura rei, sic probatur: Quicquid potest esse divisum secundum se totum ex natura rei, id potest esse non unum secundum se totum ex natura rei. Universale potest esse divisum secundum se totum ex natura rei. E. universale potest esse non unum secundum se totum ex natura rei. Major probatur: quia unum est quod est indivisum, & sic quod secundum se totum potest esse divisum ex natura rei, secundum se totum potest esse non unum ex natura rei. Minor probatur. Quicquid potest secundum se totum esse in divisis ex natura rei, ita ut in illis multiplicetur,

A 4i secun-

DISPUTATIO

secundum se totum potest esse divisum, ex natura rei. Universale secundum se totum potest esse in divisis ex natura rei, ita ut in illis multiplicetur. E. universale secundum se totum potest esse divisum ex natura rei. Minor hujus pro syllogismi patet. Est enim homo secundum se totum in Petro, Paulo & reliquis individuis humanis, quæ ex natura rei divisa sunt, ita ut in illis multiplicetur. Petrus enim, Paulus & reliqui sunt multi homines. Et his probata est consequentia majoris syllogismi primarii. Minor, nempe absurdum esse, universale posse esse unum secundum se totum & non unum secundum se totum, est manifesta, siquidem hæc sunt contradictoria. At contradictoria ne per potentiam Dei absolutam possunt simul de eodem affirmari.

II. Conclus. II. *Sola singularia sunt apta existere in rerum natura citra mentis operationem.* Et vult hoc ipsum regula Boetii: *Omne quod est, eo ipso quod est, singulare est.* Hæc conclusio statim manifesta est ex priori. Est enim hic discursus firmissimus: *Quicquid non est universale, est*

QVINTA.

est singulare. Quicquid existere potest in rerum natura citra mentis operationem, non est universale, ut patet ex conclus. præcedenti. E. quicquid existere potest in rerum natura citra mentis operationem, est singulare. Major inde probatur: quia inter universale & singulare non datur medium. Habent enim se ut contradictoria. Universale enim est divisibile in plura adæquatè talia, quale est ipsum. At singulare non est divisibile in plura adæquatè talia, quale est ipsum. Esse autem dicto modo divisibile, & non esse dicto modo divisibile sunt termini contradictorii.

12. Quantum ad tertium nostræ disputationis caput, apparet ex *th. 9.* individuum addere super naturam communem negationem divisibilitatis in plures rationes tales, qualem obtinet ipsum. Nam individuo repugnat ita dividi, quatenus est individuum. Naturæ autem communi non repugnat. Addit igitur individuum super naturam communem negationem sive repugnantiam hujusmodi divisibilitatis. Sed jam ulterius queritur, an etiam aliquid positivum ad-

A § dat

DISPUTATIO

dat individuum naturæ communi, & quomodo positivum illud differat à natura communi, & in quo prædicamento sit? Nos pro explicatione veræ sententiæ iterum ponemus aliquot conclusiones.

13. 1. Individuum addit naturæ communi aliquid reale positivum, cuius ratione negatio divisibilitatis ipsi competit. Est hæc conclusio contra Nominales asserentes individuum nihil omninò addere naturæ communi, quod positivum & reale sit, sive id dicatur re, sive sola ratione ab illa distinctum, sed unamquamque rem per se esse individuum primò & immediatè. Videatur *Ocham 1. d. 2. q. 4. & 6.* Ponimus autem pro nostra conclusione, quam etiam *Scotus* & eius discipuli concedunt hoc argumentum: Quicquid ita competit individuo, ut non competat naturæ communi, illud addit individuum naturæ communi. Aliquid positivum competit individuo, ut non competat naturæ communi. Ergo, aliquid positivum addit individuum naturæ communi: Major est clara. Sicut enim rationale competit homini, ut non competat animali de se, & propterea homo dicitur addere animali rationalitatem;

QVINTA.

tem; Ita quod individuo competit, ut non competat naturæ communi, id addit individuum naturæ communi. Minor probatur hoc Syllogismo: Si negatio divisibilitatis cōpetit individuo, ut non competat naturæ communi, etiam aliquid positivum competit individuo, ut non competat naturæ communi. Sed prius est verum, ut patet ex th. 9. E. & posterius. Major probatur: cui competit fundatum, eidem etiam competit fundamentum. Et contra: Cui non potest competere fundatum, eidem nec fundamentum competit. Fundamentū negationis divisibilitatis est aliquid positivum. Et negatio divisibilitatis super illo est fundata. Nam omnis negatio, quæ competit rei intrinsecè & necessariò, fundatur in aliquo positivo. Negatio divisibilitatis competit individuo intrinsecè & necessariò. Et fundatur in aliquo positivo. E. cui nō potest competere negatio divisibilitatis, eidem nec positivum aliquod competit, in quo illa fundatur. Potest autem illud positivum naturæ communi ab individuo additū appellari differentia singularis sive individualis, item hæcceitas vel hæccitas.

14. II. Disa

DISPUTATIO

14. 11. *Differentia singularis non distinguitur ex natura rei à natura communi.* Conclusio hæc videtur esse contra Scotum 2. d. 3. q. 1. Ant. And. 7. Met. q. 17. Illam certè acerrime oppugnat Monlor, in speciali tract. de univers. c. 6. Instituiamus nos hunc discursum: Quæ distinguuntur ex natura rei, aut distinguuntur ut condistincta ex natura rei, aut ut includens & inclusum. Sed natura communis & differentia singularis nec distinguuntur ut condistincta ex natura rei, nec ut includens & inclusum. E. non distinguuntur ex natura rei. Minor probatur quoad priorem partem: Quæ condistinguntur ex natura rei, illa sunt duo condistincta ex natura rei. Natura communis & differentia singularis non sunt duo condistincta ex natura rei. E. non condistinguntur ex natura rei. Minor iterum probatur: Quæ sunt duo condistincta ex naturâ rei, illa ita se habent, ut illorum utrumque sit uoum per se, id est, præciso altero, ex natura rei, Quia ut numerus præsupponit unitates, ex quibus fiat; sic numerus eorum, quæ condistinguntur non fit nisi ex pluribus, quorum unumquodque per se &

QVINTA.

se & præcisis aliis sic unum. At natura communis & differentia singularis non ita se habent, ut utrumque illorum sit unum per se ex natura rei. E. non sunt duo distincta ex natura rei. Ista minor iterum probatur: Si natura communis est una per se ex natura rei, illud est vel unitate singulari, vel universali. Sed neutrum horum. E. neque illud. Minor iterum probatur quoad prius membrum: Si natura communis est per se una ex natura rei unitate singulari, non opus est, ut ipsi addatur aliquid, per quod sit una unitate singulari: Atqui opus est, ut naturæ communi addatur aliquid, per quod sit una unitate singulari, nempe ad hoc additur ipsi differentia singularis, ut & Scotus concedit & nos *conclusionem præced.* probavimus. E. natura communis non est per se una ex natura rei unitate singulari. Probatur minor quoad posterius membrum: Si natura communis est una ex natura rei unitate universali, erit universalis ex natura rei. Cui enim competit unitas universalis, id est universale, & cui competit unitas universalis ex natura rei, est universale ex natura rei. At posterius

ruius

DISPUTATIO

rius est absurdum. Demonstravimus enim supra ex natura rei nullam esse universale. E. & prius est absurdum. Et hæc est probatio prioris membri minoris primi Syllogismi. Posterius quod attinet, conceditur ab autoribus. Sed probatur ex abundantia: Si natura communis & differentia singularis distinguuntur ex natura rei ut includens & inclusum, aut differentia singularis includitur in natura communi, aut natura communis in differentia singulari. Sed neutrum. E. Minor probatur quoad prius membrum: 1. quia natura communis potest concipi absque differentia singulari, sicut patet in homine, qui concipi potest absque Petro, Paulo & reliquis individuis. At absque quo aliquid potest concipi, id in eo non includitur, sicut animal potest concipi absque rationali, quod in animali non includitur. 2. Quia differentia singularis additur naturæ communi. Quod autem alicui additur, in eo non includitur, sicut iterum rationale additur animali ab homine, quod tamen in animali non includitur. Probatur minor quoad posterius membrum, 1. quia in nulla differentia inclu-

QVINTA.

includitur id, cujus est differentia secundum rem distincta. Sicut in albedine, quæ est differentia, per quam paries albus differt à nigro, paries non includitur. 2. Quia quod in aliquo includitur, ut ex natura rei ab eo distinguatur, est unum ex natura rei per se, id est, præciso eo, in quo includi dicitur. Atqui natura communis non est una ex natura rei per se, id est, præcisa differentia singulari, quia esset una ex natura rei per se vel unitate singulari, vel unitate universalis. Sed neutrum horum, ut patet ex discursu ante facto.

15. Verum contra illam propositionem quam usurpavimus, & in qua robur nostri argumenti bonam partem vertitur; *Si natura communis est una per se ex natura rei, vel est una unitate singulari, vel universalis*, objiciet aliquis, dari tertium, nempe unum unitate formali, atque sic eam esse falsam.

16. Sed respondeo, inter unum unitate singulari & unum unitate universalis, non dari medium sive tertium, quia important terminos contradictorios. Unum enim unitate singulari est, quod

DISPUTATIO

quod non potest dividi in plura talia, quale est ipsum. At unum unitate universalis potest dividi in plura talia, quale est ipsum. Vide thes. 11. Ponamus autem naturam communem esse unam per se ex natura rei unitate formali, tunc eadem redit quaestio, an sit una unitate singulari, vel universalis, quia unum unitate formali non est condistinctum aliquid ab uno unitate singulari & ab uno unitate universalis, sed est aliquid ipsis commune.

17. III. *Differentia singularis ratione distinguitur à natura communi.* Distinguitur differentia singularis aliquo modo à natura communi. Nam aliàs non posset dici addita naturæ communi, quod tamen nos prima conclusione probavimus. Nihil enim alicui additur, nisi ab eo, cui additur, aliquo modo sit distinctum. Non distinguitur autem ex natura rei, ut patet ex conclusione præced. Ergo differt ratione.

18. IV. *Differentia singularis pertinet ad eadem prædicamentum, ad quod pertinet natura communis.* Si enim natura communis & differentia singularis pertinerent ad diversa

QVINTA.

versa prædicamenta, individuum esse ens per accidens. Posterius absurdum est. Cum enim dico: hic homo, qui individuum est, ens per se est. E. & prius. Consequentia probatur, quia individuum componitur ex natura communi & differentia singulari, sicut species componitur ex genere & differentia specifica. At ex rebus diversorum prædicamentorum non componitur unum per se, sed per accidens. Pertinet igitur differentia singularis substantiæ ad prædicamentum substantiæ, & differentia singularis accidentis ad prædicamentum accidentis. Sed quoniam mentionem fecimus compositionis individui ex natura communi & differentia singulari, qualis illa sit, explicandum est. Sit ergo conclusio.

19. V. *Compositio individui ex natura communi & differentia singulari est Metaphysica.* Nam quæ compositio reperitur in rebus à materia abstractis, ea est Metaphysica. At compositio individui ex natura communi & differentia singulari reperitur in rebus à materia abstractis. Ergo. Minor probatur, quia etiam angelus est individuum creatum,

|B

&

DISPUTATIO

& ita compositus ex natura communi angelica & ex differentia singulari, vi argumenti *th. 13.* positi. Præterea natura communis & differentia singularis sola ratione distinguuntur. E, ex his fit compositio Metaphysica,

20. Cæterum contra nostram sententiam positæ conclusionibus explicatam obijciunt: Si individuum habet aliquam differentiam, & illam addit naturæ communi, illa differentia aut erit essentialis aut accidentalis. Neutrum esse potest. E, non habet differentiã singularem, quam addat naturæ communi. Minor probatur: Si differentia singularis est accidentalis, individuum erit ens per accidens, quod absurdum. Si essentialis, sequuntur hæc absurda: 1. speciem specialissimam posse dividi per essentielles differentias, & ita individua esse species diversas. Nam species specialissima dividitur in individua. Si igitur individua habent differentias essentielles, species ultimæ dividuntur per differentias essentielles, & ita individua erunt species, 2. individua differre essentialiter & specie, 3. speciem non dicere rotam essentiã individuorum (quod est contra omnes Dialecticos.) Nam species

cies

QVINTA.

cies hōc modo nō importat differentiam
individui, 4. individua debere & posse de-
finiri propria & adæquata definitione es-
sentiali, quod est contra *Arist. 7. Met. c. 53.*

21. Resp. Differentiam dici acciden-
talem potest dupliciter intelligi; vel ut
accidentale sumatur pro eo, quod est in aliquo
prædicamento accidentis, & opponitur substan-
tia, & hoc modo differentia singularis nō
pōt dici accidentalis, si consideretur ut est
differentia naturæ substantialis. Sic n. seque-
retur individuū substantiale esse ens per
accidēs. Juxta hāc acceptionē a. nō queri
debet, an sit accidentalis vel essentialis,
sed an sit accidentalis vel substantialis. Et
respondemus esse substantialem, quia ad
prædicamentum substantiæ pertinet.

2. ut *accidentale* sumatur pro eo, quod oppo-
nitur essentiali, & dicitur id, quod, cum alicui
competat, non est de essentia ejus, qua ratione
etiam illud, quod est in prædicamento
substantiæ, accidentale alicui esse potest,
sicut forma substantialis est quid acci-
dentale materiæ, quia ita ei inest, ut non
sit de ejus essentia. Et hoc modo videtur
accipi in præsentī, quia opponitur essen-
tiali. Hac autem ratione si differentia sin-
gularis dicatur accidentalis, nō sequetur

B 3

pro

DISPUTATIO

propterea individuum esse ens per accidens, quia ex eo, quod sic est accidentale, & eo cui est accidentale non semper fit unum per accidens, sicut ex materia & forma substantiali, quæ materiæ accidentalis est, fit unum per se.

22. Potest ulterius juxta secundam hanc acceptionem vocis *essentiale* differentia singularis considerari vel respectu naturæ communis, & sic est accidentalis, quia etsi realiter idem est cum natura communi, non tamen est de conceptu ejus, sicut de conceptu hominis non est, esse Petrum vel Paulum; vel respectu ipsius individui. Et hoc iterum velut ejus essentia consideratur, sicut est citra mentis operationem in rerum natura, & sic differentia est de essentia individui, quia individuum constituitur intrinsecè per differentiam singularem, neque absque ea concipi potest; velut essentia consideratur secundum rationem & communem modum loquendi Dialecticorum & Metaphysicorum, & est id, in quo tanquam in conceptu communi individua ejusdem speciei conveniunt, & ab individuis alterius speciei differunt, quomodo in rerum essentias inquirat humana

QVINTA.

scientia, quæ non descendit ad proprias individuorum creatorum rationes, & hac acceptione differentia singularis sese eodem modo habet ad individuum, quo se habet ad naturam communem, nempe sic non est essentielle quid individuo, sed accidentale.

23. Hinc etiam differentia potest dici essentialis dupliciter, vel quia est de *essentia priori modo accepta*, & sic differentia singularis sunt essentialis, vel quia est de *essentia iuxta posteriorem acceptionem*, quæ quidem acceptio famosa est & usitata, & sic non sunt essentielles, ut ex dictis perspicuum est.

24. Nunc non adeò difficile est respondere ad quatuor illa absurda, quæ sequerentur, si diceremus differentias singulares esse essentielles posteriori modo. Jam quia solum dicimus esse essentielles priori modo, non sequitur 1. individua esse diversas species, quia diversæ species solum vocantur, quæ distinguuntur differentiis, quæ sunt de eorum essentia iuxta posteriorem modum.

25. Non sequitur 2. individua differre essentialiter in sensu hujus phrasos apud Philosophos usitato. Potest

DISPUTATIO

differre essentialiter dupliciter sumi; primo ut idem est ac habere distinctas essentias, & sic verum est individua differre essentialiter. Sed in hoc sensu non tolet ista locutio apud Philosophos usurpari. Secundo, ut idem ac habere essentias non solum distinctas, sed etiam dissimiles, quatenus sub humanam scientiam cadunt. Hoc a. modo individua differre essentialiter non sequi ex nostra assertionis obscurum esse non potest.

26. Quantum ad 3. existimo non esse simpliciter intelligendum, quod Philosophi asserunt, speciem dicere totam naturam individuorum, sed solum in quantum subjacent humanae scientiae. Non autem subjacent ipsi quoad naturam propriam, quia non descendunt scientiae ad individua, quatenus individua sunt. Et in hoc distinguitur species à genere, quod tantum importat partem naturae communis individuorum alicujus speciei, sicut per animal non significatur rationale, quod est pars naturae Petri & Pauli. At per hominem significatur tota natura, in qua Petrus, Paulus & reliqui homines conveniunt.

27. Atque hinc 4. non sequitur individua defini, quia quatenus aliqua non cadunt

QVINTA.

cadunt sub humanam scientiam, eatenus etiam non definiuntur.

28. Restat ut etiam quartum, quodnam sit principium individuationis, persequamur. Ut a. cognoscatur sensus huius quaestionis, notanda sunt duo: I. Principium aliud est *externum*, aliud *internum*. Externum principium est, quod est *extra essentiam rei, cuius est principium*. Internum est, quod *essentiam rei ingreditur*, sicut efficiens & finis externa principia sunt, materia & forma interna. Impraesentiarum non quaeritur de principio externo. Nam statim patet id, quod producit aliquam rem, esse principium eius individuationis extrinsecum. Ita cum Deus creat angelum aliquem vel hominem, est principium individuationis eius extrinsecum. Quaeritur igitur solum de interno principio.

29. II. Principia interna sunt vel *Physica* vel *Metaphysica*. Principia *Metaphysica* illa dici videntur, quae etiam reperiuntur in rebus a materia abstractis, qualia principia sunt genus & differentia respectu speciei, ut animal & rationale respectu hominis. Principia *Physica* vero dici videntur, quae solum in rebus materiam includentibus reperiuntur. Hoc modo

DISPUTATIO

materia & forma sunt principia substantiæ corporeæ, ut corpus & anima respectu hominis. Hic non quaritur de principio Metaphysico. Nam de hoc præcedenti quæstione actum est. Est enim principium Metaphysicum individuationis differentia singularis cum natura communi, à qua sola ratione differt, individuum constituens. Quaritur ergo de principio Physico. Solent a. sæpè principia Metaphysica fundari in Physicis. Sicut e. gr. genus dicitur sumi à materia & differentia à forma. Et quemadmodum, cum constet hominem constitui ex animali & rationali, tanquam ex genere & differentia, quæ sunt principia Metaphysica, ulterius quaritur de principiis ejus Physicis, quæ materia & forma sunt: Ita post principium individuationis Metaphysicū instituitur quæstio de Physico.

30. Est igitur sensus quæstionis, *an detur aliquod principium Physicū internum, per quod individuū sit individuum, & quodnam illud sit?* Quemadmodum n. species v. g. homo habet sua principia Physica interna, ut animā & corpus; Ita & de individuo v. g. hoc homine quaritur, per quid tanquā principium Phys. sit hic homo. His præsuppositis variæ se offerunt sententiæ. Pri-

QVINTA.

31. Primo quidem fit apud autores mentio alicujus sententiæ, qua statuatur principium individuationis naturæ substantialis esse accidentia communia, non quidem unum aliquod, sed multa simul sumpta, v. g. esse filiū Philippi, regem Macedoniae & Græciæ, eversorem regni Persarum &c. hæc accidentia simul sumpta esse principium Alexandri Magni, tanquam certi individui humani. Hanc sententiam tribuunt Porphyrio; propterea, quod ille *cap. de specie* dixit, singulare illud esse, cujus accidentia omnia simul collecta non possint in aliquo alio reperiri.

32. Sed oppidò falsa hæc est sententia. Sufficiat nobis unicū arg. Nullius substantiæ principium internum sunt accidentia. Individuum substantiale est substantia. E. individui substantialis principium non sunt accidentia. Probat Major, quia si dicamus principia substantiæ interna esse accidentia, aut dicendum est, omnia ejus principia esse accidentia, aut aliqua esse accidentia, aliqua substantias. Sed nec illud, quia ex meris accidentalibus. nō fit nisi accidens; neque hoc, quia sic substantia esset ens per accidens. Constaret n. ex substantia & accidente. Min. prob. quia species

B 5 &

DISPUTATIO

& individuum speciei ad idem pertinet
prædicamentum. E. individuum substan-
tiæ est substantia.

33. Neque causa sufficiens est, cur
Porphyrio hanc opinionem attribuamus,
quod ille definiuit individuum per colle-
ctionem accidentium. Quid enim si ille
suam definitionem non pro essentiali
venditet, sed pro qualicunque descri-
ptione?

34. Secundo Scotus 2. sent. dist. 3. qu. 3.
refert quosdam confugientes ad existen-
tiam & per eam naturas communes indi-
viduari statuentes. Hanc sententiam Ni-
col. Bonero lib. 8. sue Metaph. cap. 1. tribuit.
Fonseca l. 5. Met. c. 6. q. 2. sect. 1.

35. Verum facile refellitur inde, quod
principium individuationis non prædi-
catur contingenter de individuo, sicut
principium per quod aliquid est certa
species, contingenter de ea non prædica-
tur. Aliàs n. individuum esset contingen-
ter individuum, & speciei contingens es-
set esse talem speciem. At existencia con-
tingenter prædicetur de rebus omnibus
infra Deum, etiam de individuis, quia
nulla res infra Deum necessariò existit.
Præterea quæstio nostra est de principio
Phy-

QVINTA.

Physico. Existencia, si vel maximè esset principium individuationis, esset principium Metaphysicum.

36. Alia opinio est Thomistarum principium individuationis statuentium materiam signatam? Sed hanc sententiam diversimodè explicant. *Paul. Soncin. 7. Met. q. 34.* per materiam signatam intelligit materiam quantitate affectum.

37. Sed hæc sententia sic explicata facile refutari potest. Ens per accidens non potest esse principium intrinsicum individui substantialis. Materia ut est quanta, est ens per accidens: ut patet. E. Major probatur, quia individuum substantiale est ens per se. Ens per accidens autem non potest esse internum principium entis per se.

38. Aliter hanc sententiam explicat *Javell. 5. Met. q. 15. & Cajetan. de ente & ess.* intelligentes per materiam signatam non materiam actu quantitate affectam, sed potentiam proximam obtinentem ad hanc vel illam quantitatē. Quod si quis querat, cum materia de se sit indifferens ad quamlibet quantitatē recipiendam, unde nam habeat potentiam proximam & determinatam ad hanc vel illam quantitatē, re-
spon-

DISPUTATIO

spondent, materiam illam potentiam habere ab agente disponente ipsam ad certam formam substantialem suscipiendam. Nam non quælibet forma substantialis est in materia sub eadem quantitate, sed diversa forma requirit diversam quantitatem. Hinc ergo agens disponentes materiam ad certam formam substantialem disponit et ipsam ad certam quantitatem.

39. Verum ne sic quidem explicata ista opinio consistere potest. Nam si materia non esset hæc numero, nisi quatenus actione agentis potestate proxima est capax solius hujus quantitatis, fieret necessarium, ut, quoniam materia in qualibet generatione est capax novæ numero quantitatis quæ novam formam substantialem consequitur, in qualibet generatione esset alia numero materia, ac proinde non eadem numero maneret in re genita, quæ fuit in corrupta. Quod quàm sit absurdum, est luce clarius. Isto enim pacto non daretur idem commune subiectum, in quo terminus ad quem succederet termino à quo, i. e. forma privationi, quod est præcipuum fundamentum naturalis Philosophiæ.

40. Quod si hujus opinionis autores respondeant probari hoc arg. materiam

per

QVINTA.

per se non esse individuum & unam numero per potentiam ad quantitatem hanc vel illam, sed nō probari, ipsam non esse principium individuationis hujus vel illius cōpositi per potentiam ad hanc vel illam quantitatem, petimus rationē, cur, cum materia sit in se individua, citra illam potentiam ad certam quantitatem, nō possit etiam citra illam potentiam esse principium individuationis. *Javell. loc. cit.* hanc habet propositionem: *Quod est ex se primo tale est causa & principium, quod aliquod aliud sit tale, in quo reperitur.* Assumo: Materia ex se primò (absque illa potentia ad certam quantitatem considerata) est individuum, E. etiam ex se primo (absque illa potentia ad certam quantitatem considerata) est causa & principium, quod aliud sit individuum, in quo reperitur. Plura argumenta vide apud *Fonsec. lib. 5. Met. c. 6. q. 4. sect. 3. & alios.*

41. Nos sententiam nostram explicamus duabus conclusionibus. 1. *Principia individuationis substantiæ compositæ sunt hæc materia & hæc forma.* Ab hac sententia non videtur esse alienus *Durandus 2. distinct. qu. 2.* & expressè eam proponit & defendit *Suarez. disput. cit. sect. 6.* Probo eam: *Quæ considerata in communi*

DISPUTATIO

sunt principia substantiæ compositæ consideratæ in communi, ea considerata in singulari, sive ut sunt hæc, sunt principia substantiæ compositæ consideratæ in singulari, sive ut est hæc. Sed materia & forma consideratæ in communi sunt principia substantiæ compositæ consideratæ in communi. Præsupponimus enim jam, tam materiam quàm formam esse partem & principium internum essentiæ substantiæ compositæ. E. materia & forma consideratæ in singulari, sive ut sunt hæc, principia sunt substantiæ compositæ consideratæ in singulari, sive ut est hæc.

42. Quanquam a. tam materia quàm forma sunt principia individuationis, tamen primarium principium est forma. Ab omnibus namque Philosophis formæ principatus tribuitur in constituendo composito. E. & formæ individua principatus debetur in constituendo composito individuo. Hoc ipso tamen non facimus cum Zabarell. qui c. 6. de const. individ. materiam facit tantum causam sine qua non individuationis.

43. Ex dictis perspicitur, differentiam singularem adæquatè esse desumendam tam à materia, quàm à forma. Quemadmodum

QVINTA.

modum enim differentia specifica includit tam materiam quam formam, juxta communem quandam rationem, sicut *disp. seq.* declarabitur: Ita etiam differentia singularis includit materiam & formam secundum rationem propriam & singularem.

44. Sed objicis: Quicquid est simplex non includit materiam & formam. Differentia singularis est simplex. E. non includit materiam & formam.

45. Respondeo ad minorem in ea esse fallaciam à dicto simpliciter ad dictum secundum quid. Quicquid est simplex quovis modo, non includit materiam & formam. Potest tamé aliquid esse simplex certo modo, ut sit compositum alio modo. Quemadmodum differentia specifica est simplex, quoad compositionem Metaphysicam, quia non constat ex genere & alia differentia, est tamen composita compositione Physica. Includit n. materiam & formam secundum rationem quandam communem. Jam ad minorem: Differentia singularis est simplex, quatenus non est Metaphysicè composita ex alia differentia. Potest nihilominus esse Physicè composita ex materia & forma.

46. Insu-

DISP. QUINTA.

46. Insuper & hoc notandum, quod cum dicimus materiam & formam individuum esse principia individuationis substantię compositę, non statuamus formam individui peculiarem à forma specifica, ut Ramistę statuunt. Est una eademque forma, quę prout est hæc vel illa, individuum constituit, prout verò secundum rationes magis vel minus communes consideratur, genera & species constituit, & generica aut specifica appellatur.

47. II. *Conclus. Substantia simplices, ut spiritus, materia & forma, accidentia item & modi rerum nulla habent principia individuationis.* Et ratio est, quia hæc sunt entitates quædam simplices principiis internis Physicis carentes.

48. Tandem nota, duo posteriora disputationis nostrę capita tantum esse intelligenda de rebus creatis. Nam cum de essentia Dei sit ut sit singularis, non additur ipsi differentia per quam determinetur & singularis reddatur. Cum etiam simplicissimum ens & à nullo dependens sit Deus, nullum principium assignari illi potest.)


Fa 662


ULB Halle 3
005 389 291



VD 7







B.I.G.

Farbkarte #13

3. 3
DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM TERTIA
De
UNO IN SUA
LATITUDINE.

Quam
D. T. O. M. F. A.
Venerando Philosophorum
Collegio permittente,

Præside
M. DANIELE STAHLIO
Hammelb. Franco,

Ad 28. Augusti inter aequales
tuebitur
PHILIPPUS STOLTZENBERGERUS
Wertheim. Franc.



J E N Æ
Typis Johannis Weidneri,
Anno 1621.

